

VITT. EMANUELE


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 D
17




NATVRA
O Philaletha

Σωὶ Θεῷ

NATHAN LACY
Med. Doct.

DE

PODAGRA.

Plinius Lib. 6. Epist. 21.

Sum ex ÿs qui mirer Antiquos: *non tamen, ut quidam*, temporum nostrorum ingenia *despicio*. *Neq; enim quasi lassa & effœta* est *Natura*, *ut nihil jam laudabile pariat.*



VENETIIS,
Apud Andream Poleti, Sub Signo Italiæ.
SVMPTIBVS AVTHORIS.


MDCXCII.
Cum Superiorum Licentia.

SERENISSIMO

FRANCISCO II.

ESTENSI

Mutinæ, Regii &c. Duci.



Æcula ſunt, Sereniſſima Celſitudo, quòd Italiæ pro Scholâ Salernitanâ debitrix ſit Medicina Anglicana: plura ſæcula ſunt quòd Stemmati Antiquiſſimo Tuo, pro Reginis Ateſtinis, debitoria ſint Noſtra Regna Britannica. In Medicinâ, quod Regi Angliæ Italicè factum

eſt, Duci Mutinæ Ego Anglicè repono. Debitum verò quo Familiæ Tuæ obſtringuntur Nationes, Sacra Sororis Tuæ Majeſtas, ex Aſtris delapſa, Mortalis Dea, adeò uſque auxit, vt coactæ fateantur omnes reverà nullam inter res Sacras & Mundanas intercedere Proportionem; Reges cum Regnis nullo modo eſſe Commenſurabiles. Sed non ideò me huc miſit mea Anglia Legatum ut nomen ejus liberem: tamen cùm ſim ex toto illo Diviſo Orbe in Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ Aulâ unicus; ac perpetuum aliquod beneficiorum tuorum erga me, mei autem erga Te obſequii, monumentum erigere cupiam; hoc tacitè me poſcit Patria, cujus ſum quaſi Epitome, ut Scriptis & Factis (cum veniâ) paulò inſolentioribus aliquantulùm tranſcendam. Prætereà cùm Iulio Cæ-

ſari

ſari laudi ſummæ gloriæque tribuatur quòd eodem animo ſcripſerit quo & pugnavit; mihi (ſpero) condonabitur, qui quamvis Auguſtus non ſim, tamen ad Imaginem Cæſaris factus, Eques Laureatus conſpicior; quique inter clangentes Tubas, Tympanorum & Armorum ſtrepitum, cum Gladio in unâ manu, alterâ Stylo, ſcripſi; ſi pennam gladio aliquando acuerim. Verbis Mollibus & Delicatulis Ducis mei Summi ac Imperatoris Aures Oculoſq; corrumpere fuit Piaculum. Marti Lupos & Gryphas, non Agnos & Paſſeres, didici ſacrificare. Accipe igitur, Sereniſſima Celſitudo, hanc Molam Salſam meam, hunc Sanctæ Veritatis Manipulum, quem More Romano Tibi offero. Et Mentem ſanam, quâ felix es, erige; nec opus eſt ut aliud precer,

cer,


cer, cùm Corpus ſanum, aliaque omnia (Sapienti nihil deeſt) & Terreſtria & Cœleſtia bona neceſſariò hanc conſequantur: Meaque hæc Ore Sublimi & Erecto vultu legito; nec pronum, terram verſus, Oculum ſemel unquam deprimito, niſi quando me ſupplicem, ad pedes Tuos provolutum, ſuſcipis

Sereniſſimæ Tuæ Celſitudinis

Addictiſſimum & Humillimum Servum

Nathan Lacy.

Author ad Lectorem.



EN *Argenidem Medicam, sive Fabuli-formem Veritatem in Medicinà, quam scabiosum hoc Sæculo scribendi cacoethes (si ita mavis) tibi obstetricavit. Sunt qui viso hoc discursu M. S. statim exclamarunt, En Propositionem Physico-Euclidicam, quæ totam Artem anteà solùm Hypotheticam & Iudiciariam jam reddit Demonstrativam! sed ne credas me, si me audias, tam facilem ad vanitatem esse qui illis credam. Aliĳ illicò mihi Benedictionem * Pontificiam, omniaque augustissima (serióne an joco, tantidem æstimo) cœperunt augurari. Vtcunque fuerit, laudemur ab his, culpemur ab illis, hic invenient multi in quo judi-*

cium

cium ſuum exerceant . Ego de me ipſo hoc ſolum dicam, quòd ſi graves cauſæ me non urgerent, nunquam dediſſem typis hoc uni-meſtre cerebri mei (ſi quod haberem cùm hæc ſcriberem, vel etiamnum habeam) excrementum. Nam cùm animi cibus ſit Veritas, non ſufficiunt veriſimilia cum Carteſio, qui ſcripſit de Homine non ſicut reverà eſt, ſed ſicut potuerat, uti ipſi viſum eſt, fuiſſe. Ex quo per miſericordiam Dei clarior Sacræ Philoſophiæ lux viſitavit me ex alto, Odi omnes Hypotheſes, Odi omnes Chimeras Sophiſticas, vulgò dictas Philoſophicas, quæ, ut erroneæ Phantaſiæ obſequatùr, de plano ſuo tramite violenter detorquent ſimpliciſſimam Naturam, quam deberent ſequi. Oportet conſiderare quomodo Natura operatur, & dein ipſam imitari, ſi vis facere aliquid in Medicina; & pro certo ſcias quòd in hoc unico conſiſtat totum Occultæ Philoſophiæ

Arca-

Arcanum. Nihil ampliùs addo, ſolùm ne credas me per hæc velle tibi perſuadere me certum aliquod Secretum pro curanda Podagra Adeptum eſſe; cùm intentio mea ſit tantùm præmonſtrare quo modo, in via ſimpliciſſima, illa ut & aliorum morborum cura poſſit & debeat quæri. Hoc etiam, ſi quando incidas in commiſſuram diſcurſus (ut tibi videatur) nimis laxam, minùs juſtam, vel etiam contradictoriam, ne tibi diſpliceat; ſed ſapias, ut tuæ utilitati meliùs proſpectum ſit, conſultò hoc factum eſſe. Reſtat, ne offendaris quòd in Medicos protervè aliquantulùm & petulanter quandoque invectus ſim; quandoquidem ex lite Literaria nemo lædatur niſi in pictura: & ſignum ſit (ut omne occultum eſt contrarium ſuo manifeſto) quòd pacem habeam cum hominibus, quando ineo cum vitijs bellum. Vale, & fruere his cum prudentia;

quod


quod cùm rectè feceris, aliquando longè alia longè aliusmodi expecta.

** Lepidum est quod de Leone X. Pontifice referunt illius ævi Annales. Venerat ad Vrbem Agyrta quidam magno hiatu promittens remedium præsentaneum Morbo Articulari, cum quo graviter conflictabatur Pontifex. Cùmque is per internuntios ageret, suamque in hoc morbo enodando industriam Leoni insinuaret, ille nuntiantem percontatur, quo apparatu cultuque eò appulisset? & cujusnam conditionis foret? quo respondente, esse hominem fortunæ angustioris, nec ullo famulitio septum; stomochatus Leo, Apage, clamavit, futilem illum & vaniloquum Nebulonem: nam si vel lenire duntaxat, tantùm abest ut tollere Podagricos dolores nosset, etiam maximos Principes opibus & splendore æquaret; cùm vix ullus sit qui hoc morbo non torqueatur, eoque carnifice immenso auri pondere liberari, vel maximè non desideraret: & sic vani impostoris delusa pollicitatio fuit. L. Beyerlinck in Theatro Vit. Hum. sub Tit. de Podagra.*

NA-

Σὺν Θεῷ

NATHAN LACY
M. D.
DE
PODAGRA.



Ominus Morborum, Morbus Dominorum ac Sapientum (nam Pauperes & Fatuos fugit intactos) Passio Arthritica, multos pessimè tractans, & à multis pessimè tractata, in Democriti Puteo, cum Occultis Causis & ignotis curationibus, hucusque habitavit. Plurimi Proteam conati sunt piscari Sphingem, quæ nunc aliis morbis congeneribus, ut Nephritidi, maritata; nunc mutuatâ dolorum facie, Scorbutum &c. mentita; quandoque frigore torpida, in principio Febrem Intermittentem; mox calore torrida,

Nomen.

Arthritis ἀπὸ τοῦ Ἄρθρου *ab Articulo.*

 site,

ſite, vigiliis, appetitu proſtrato, virium dejectione, delirio &c. Febrem Ardentem; & contagioſa Peſtem tantùm non imitata; ad manus Chiragra, ad Coxendicem Iſchias, ad genua Gonagra, ad pedes Podagra, per omnes Articulos curſitans, Ignis Fatui inſtar, ſubſultoria & oberrans, Arthritis Vaga nuncupatur.

Differentia.

Prætereà in Maxillæ Articulo Syagonagra, in Cervice Trachelagra, in Spinâ Dorſi Rachiſagra, in Humero Omagra, in Cubito Pechyſagra, cum Ambroſio Paræo nominari poteſt: Sed cùm res & Subſtantiam, non Nomina & Pompam quærant ægroti (quamvis exordium à Nominibus & non à rebus Methodi ratio poſtulet; Secundùm Galen. in Com. Hipp. de Natura Humana Com. 1.) reſciſſo omni ambitu non abſolutè neceſſario, ad Rhombum me converto.

Ne tamen me reprehendat Lector, ut Lyſiam Socrates, aut Panetium Cicero, ſi rei tractandæ præviam Definitionem prætermiſerim, cùm Definitio ſit duplex, altera Nominis, rei altera; poſthabitâ illâ Nominis, quia Pro-

Etymologia Podagræ ex Luciano in Tragopodagra παρὰ δὴ τοῖς ποσὶ βρο-

Profundissimi Petri Severini Dani tractatum de Essentiis Rerum & Verbo rum nunquam hucusque potui legendum attingere; ut Ego Podagram (sicut illa Pedes) capiam, & injectis strictis Verborum compedibus totam ejus Essentiam constringam, sit hæc ejus Definitio.

τῶν Ποδάγρα καλοῦμαι γινομένη ποδῶν ἄγρα.
A plerisque autem hominum Podagra vocor existens Pedum captura.

Est solutio Continui, facta à Sale Essentiali aucto, in Sero, communiter ad juncturas, per intervalla, extravasato.

Definitio.

Quamvis peregrinis Græcismorum mysteriis ægrotum Lectorem videar abundè satis jam territâsse, nondum tamen omnes gravi hujus morbosæ Furiæ tyrannidi subjectas partes vel nomine tenus salutavi. Ut enim Sennertus Cap. 1. de Arthritide, transcribit ex Innominato Authore Libelli de Podagrâ Scriptis Medicorum Principum additi §. 8. *Non solùm manus, pedes, & Articulos omnes hujusmodi Passiones infestant, verum etiam in ipsum Caput, in ipsum Iecur, in ipsum quandoque Cor faciunt impressionem. Hieronym. Capivaccius etiam in Consil. à Scholtzio collect. Consil. 226. facit mentionem Podagrici doloris in latere, ob*

Subjectum totum Corpus.

quem æger diu in tergo decumbere coactus est, nec latera movere potuit. Et retulit mihi Vir Nobilis, se Podagricos gravissimos etiam in Membro Virili dolores percepisse: & nobilis Fœmina narravit, cognatæ suæ Arthritide laboranti etiam Margam (ita appellavit, nec incongruè) in fronte erupisse, ut instar arenæ & granorum Salis abstergi possit. Adeo ut Subjectum hujus morbi sit universum Corpus, utcunque Magnum Medicinæ Lumen Willisius, Arthritin inter morbos Capitis & Nervosi generis numerat; *existimans quòd Sedes ejus in partibus nerveis poni, à Symptomate primario scilicet dolore concludere liceat. Porrò hujus causam Piso & Fernelius intra Caput existere probabiliter statuerunt. VVillis. Patholog. Cap.* 14. *de Arthritide.*

Pars affecta secundùm VVillisium.

Secundùm Sylvium.

Apollo Lugdunensis Sylvius, Hepar, Pancreas, Glandulas Conglobatas, & Conglomeratas accusat, ut partes quæ primùm affectæ ad membranas partium laborantium, tanquam ex Scaturigine, materiam morbificam transmittunt.

Hel-

Helmontius & Clarissimus nostras Th. Sydenham Ventriculum morbo huic pro sede sui fomitis assignant. *Helmont.* *Sydenham.*

Paracelsus, Cartesius, aliiq; distantem hanc morborum turrim variè dispositis Oculis prospicientes, nunc quadratam, nunc rotundam, Polygonam, &c. descripserunt. *Paracels. Cartes. &c.*

Ego (cum Intentio mea non sit monstrare quid alij cœcutiant, in quo forsan & ipse lippio) aliorum qui de hâc materiâ scripserunt opiniones & Medendi Methodos non recensebo, ut proclamem a quot quantisque magnæ Authoritatis nominibus dissentiam, sed cogitata mea de morboso hoc Phænomeno (quandoquidem, sicut felicissimus ante me De le Boe Sylvius, ex consideratione Curationis venerim ad notitiam Causæ) breviter statim ordine proponam. Sed primo de Signis Diagnosticis.

Antequam Paroxysmus doloris Articularis superveniat, Suppressio Urinæ, Sudoris, Sputi &c. semper ferè præcedit: Venæ in membris, ad quæ tortor venturus est, videlicet in pede vel in manu, communiter disten- *Signa Diagnostica Paroxysmi Instantis.*

duntur & ampliores redduntur. Viris Teſticuli in Scroto prolongantur. Et quidem Podagrici his potiſſimùm Signis dolorum Imminentium fere ſemper fiunt præſcii. Primò accedit partis afficiendæ inquietudo, aut torpor, dein ſenſus ſolito exquiſitior, & dolor abſque causâ externâ, communiter in pedum juncturis, ac maximè Pollicis (Sennertus dicit plerumque Siniſtri) à quo poſteà facilè fertur ad alios Articulos, & quaſi aſcendere ſentitur ad Genua vel ad alterum latus: ambulandi impotentia vel difficultas; calor & color vergens ad rubedinem, interdum cum, quandoque ſine tumore. Nonnunquam Febris vel Continua vel Intermittens præcedit vel comitatur, vix ullo notabili frigore aut calore, ſed ſolo levi capitis dolore infeſta.

Præſentis. Præſens Arthritis ſatis ſuperque per ſe patet. Dolor interdum major interdum minor, non raró ſenſus tam exquiſitus ut Lanugo Cygnea parti affectæ impoſita ipſam offendat, obſervatur: Sæpe dicunt ægri ſe nihil aliud ſentire quàm ſi à Formicis membra eſ-

ſent vexata. Si dolor excruciet brachium, digiti omnia percipiunt craſſiora quàm revera ſunt; quia cùm medium inter originem earum in Medullâ Spinali & extremitatem in digitis à morbo impediatur, Spiritus non poſſunt in eos liberè influere, ideoq; motus in Organo Senſationis factus ad Cerebrum nonniſi perturbatè continuatus ibi diſtinctè percipi & rectè dijudicari nequit. Dolorem non ſemper non ſequitur Inflammatio: hæc Febrem Symptomaticam ſæpe parturit; illa rurſus Sitim, vigilias, virium dejectionem; & exoſam hominibus, ſequacem Febrium, reliquam Symptomatum, quæ oppreſſam Naturam jugulant, catervam. Interdùm dolor eſt adeo intolerabilis ut animi deliquia etiam inducat & convulſiones; ut benè obſervat Clariſſimus, & de Republicâ Medicâ optimè meritus, Dolæus: Convulſiones tamen rariùs patiuntur Arthritici ex Obſervatione Sennerti Cap. 1. de Naturâ Arthritidis, ubi etiam opinionem Thomæ Eraſti diſput. 4. contra Paracelſ. recenſet, cum rationibus quarum enumerationem Tractatus hujus

anguſtiæ non admittunt. In Iſchiade non ſolùm ad Articulationem, ſed etiam ſurſum ad Os Sacrum per Nervos Femorales qui ex eo oriuntur, & ulteriùs per conſenſum ad lumbos uſque, dein deorſum ſecundùm eorundem Nervorum ductum, ad femur, ſuram & extremum pedem dolor extenditur. In alijs Articulis communiter circa locum affectum conſtantiùs verſatur. Rurſus in Iſchiade ſedes doloris eſt profundior, in aliis Arthriticidis ſpeciebus magis Superficialis.

Arthritide illâ Univerſali (Vagam appellavimus) nihil incertius: modò in hoc Microcoſmi pago inimicam accendit facem, modò per imperceptum Cuniculum ſubtùs ad locum principaliorem portata ex improviſo totum in ardentem flammam conjicit: mox inducias ſimulatas promittit, aſt tunc cùm minùs ſperatur, infida ſecurum ægrotum inopinatò, tanquàm ex inſidiis, toto impetu invadit. Pulſus nihil indicat in hoc morbo quod ei, ut contradiſtincto ab aliis, ſit primariò peculiare: quicquid ex eo percipitur propriè ad Febrem referendum venit;

nit;

nit; ſecundariò poteſt ad quemcunque alium dolorem, æquè juſto titulo ac Arthritidem, referri.

In Urinâ Arthriticorum ſæpiſſimè copioſæ reperiuntur arenulæ, pro quarum excretione vel retentione multa de reditu, duratione & ſolutione Paroxyſmi poſſint interdum judicari. Et ſi tam arcta neceſſitudo inter Arthritidem & Congenerem ejus Nephritidem ſemper intercederet (quod nullo modo optabile eſt) qualem obſervavit Williſius in D. D. H. H. in quo Nephritis in Arthritidem, & Arthritis in Nephritidem, ita reciprocè converſa eſt, ut remittente unius Paroxyſmi vehementiâ ſemper intenderetur illa alterius, majores obſoletæ illi Circumforaneorum conſultrici Urino-mantiæ uſus, quàm quos nunc concedimus, poſſemus concedere.

Diſtinctiones Podagræ ab Humoribus & Qualitatibus primis deſumptæ exploduntur.

Nullum ultimò locum hìc habent pueriles illæ (hoc lucis) quorundam Medicorum ineptiæ, deliria & fatuitates, qui prolixi ſunt & operosè verſantur in recenſendis ſignis, diverſas Podagræ ſpecies diſtinguentibus, quas à phantaſticis illis humoribus Sangui-

ne,

ne, Bile, Pituitâ, & Melancholiâ desumunt. Nugæ istæ etiam à crepusculantibus Sennerti temporibus jam explosæ sunt, ut videre est in præmemorato ejus Tractat. de Arthritide Cap.3. de Signis Diagnosticis; Petri Severini Dani Ideâ Medicinæ Philosophicæ, aliisque bonæ famæ Authoribus. Neque quispiam ex tumore hoc vel illo rubro, flavo, rubro-pallido, vel mixto &c. argumentula sibi quærere conetur; nam ab ignavâ istâ Terminorum aut nihil significantium, aut Entia non-Entia inutiliter multiplicantium servitute manumissi, nos Medicinam colimus realem & viris sensatis dignam; nec ampliùs Podagram Biliosam aut Pituitosam, Calidam aut frigidam (Biliosa & Calida sunt illæ quæ plus, Pituitosa & Frigida illæ quæ minus Salis in sero habent) cum bonâ veniâ & Venerandæ Galenicæ Antiquitatis pace jam possumus agnoscere.

Prognostica. Cum omnia Antiquorum Prognostica de Podagrâ vel saltem pars maxima, secundum meam curandi methodum (si curetur) sint jam omnino falsa & superflua, locum hunc (iis ordi-

ne

ne & successionis jure debitum) per novum Veri-verbium, quod inter Medicinæ Adagia in posterum numerari poterit, magis visum est supplere. Illud autem est tale. viz. *Quod Podagra nemini nisi volenti faciat injuriam*. Quicunque enim Abstinere & Sustinere ausus fuerit medicamenta illa quamvis paucissima, quæ curæ hujus morbi sufficiunt, facilè non requiret, ut Galenus Libello de Attenuante victûs ratione. Cap. 1. asserit se *non paucas Arthritidas, quæ jam Articulorum ossa nudarunt, optima & attenuante victus ratione curatas vidisse, alias etiam mitiores redditas, alias in totum persanatas*. Arthritis, Dea, quia Bacchi & Veneris filia, vocatur Dea Misoptochos, sive odio habens pauperes, quia rarissimè vel eos, vel eos qui eorum more vivunt invadit. Optime quidem hoc novit atque monuit Petrarcha part. 2. Dialog. 84. de Remedio utriusque fortunæ, qui perbellè de Podagra loquens sic ait: *Si salutem cupis, aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas*. Huc facit notissima illa Fabula de Podagra & Ara-

Λυσιμελοῦς Βάκχου καὶ λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς Ποδάγρα.

Araneo apud Cælium, & Petrarchum Epist. 39. vt & Aldrovand. in Insectis, quorum hic ad Pauperes, illa ad divites divertere solet.

Si exempla hanc veritatem comprobantia liberè hic reciperentur Tractatui huic, antequam in Bibliothecam excresceret, non esset finis. Unum vel alterum solùm ex notabilioribus non possum non memorare. Illud imprimis Rogatiani Senatoris, cujus meminit Porphyrius in Vita Platonis, & ex eodem Rhodiginus lib. 7. Antiqu. lect. Cap. 11. qui sævissimâ Podagrâ oppressus in vitæ tædium ita devenit, ut dignitatum & bonorum suorum negligens, expulsis servis, proprios lares rarò habitaret, quosdam tantum amicorum & familiarium conveniens apud eosdem cœnabat, dormiebat, simplicem cibum nonnisi semel in die assumens: hâc igitur vitæ incuriâ factum est, ut cùm anteà nec manus extendere valeret, tamen adeò convaluerit, ut eis non solùm expeditè uteretur, sed & in reliquis quoque membris omninò affectionem vinceret, & robur inde resumpserit. No-

tissi-

tiſſima etiam eſt illa Hiſtoria Nobilis cujuſdam Itali, quam varii Authores referunt, imprimis Majolus Dialog. 4. Dier. Can. (qui anno 1566. cum eodem Pecchio dicto Mediolani collocutum ſe fuiſſe refert, & ab illius ore omnem Hiſtoriam audiviſſe) & ex eo Hieronym. Drexell. in Gymnaſio Patientiæ, part. 2. Cap. 2. & in Iejun. lib. 1. Cap. 3. §. 4. & ex illis Gaſpar à Reies in Campo Elyſeo. Franciſcus Pecchius, quinquagenarius licet, & Podagricis cruciatibus à multo tempore oppreſſus, ut ſui Ducis commiſſa expediretur, mulam conſcendit, & viam ingreditur, in quâ à Marchione quodam inimico ipſius, ex inſidiis circumventus, & in carcerem detruſus, nihil præter panem & aquam pro ſuſtentandâ vitâ à ſevero cuſtode per annos aliquot quotidie accepit. Interim Pecchius totis Urbibus & Oppidis quæſitus nuſquam comparet, quare omnes generaliter vitâ defunctum non abs ratione arbitrantur; ſed anno 1557. à Gallis in eam Arcem irruentibus incolumis inventus eſt, & tanquam Lazarus ex monumento revocatus. Quale ſpe-

ſpectaculum iis qui hominem anteà agnoverunt! Arthritidis morbo, baculo vix incedere valentem, dum nullo jam enixum, enſe accinctum, nullo artuum impedimento per Urbem divagari conſpiciebant; omnem quippe Podagræ noxam per tenuem victum ita amiſerat, ut ab illâ in reliquum vitæ prorſus immunis vixerit.

Pro exercitiorum argumento facit Podagricus ille Mercator, cujus hiſtoriam ſcribunt Taberna Montanus, & Johan. Matthæus in Speculo Sanitatis Cap. 4. Hic dum ſatis dives luxu diffluebat Podagrâ aſſiduâ torquebatur; cum verò adversâ fortunâ in duram pauperiem conjectus opere mercenario victum quæritare coactus eſſet, & lautam (quâ anteâ utebatur) menſam deponere, hoc exercitii genere & victûs parſimoniâ ſobrius & abſtemius quamvis ex neceſſitate factus, à Podagrâ omnino liber evaſit. Eodem eventu Lucas Keslin, homo ſane prædives, ut ex Wirſungio lib. 4. Cap. 4. Praxis Germanicæ refert Schenckius lib. 5. & ex eo Gaſpar à Reies in Campo Elyſeo, ſummo luxu, deliciis, & otio

& otio abſorptus Podagram ſibi acceſſiverat, ex quâ in tantam membrorum læſionem & torporem devenerat, ut duobus ſervis quibus fulciretur ſemper ſtipatus prodiret; tandem ad extremam egeſtatem redactus eſt, & ex rei inopiâ interdicto vino, victu acciſo, & pro paupertatis conditione frugali inſtituto, Podagra mutato hoſpitio hominem deſeruit, qui etiam cùm Quinquagenarius merces corbe dorſuario, hinc inde per pagos & vicos diſcurrendo, divendendas comportans, tenui hâc fortunâ Arthritidem in totum profligavit. Abſq; quod adjiciam aliud, credat mihi Lector ingenuus honeſtos Podagræ infenſiſſimos eſſe labores; quod uſque adeo verum eſt ut brevis leviſque ipſorum non ſemper ſocius ſequaxque ſudor, quamvis in medio, quo alias fovetur, lecto excitatus ipſam prorſus enecet; prout in ſequenti diſcurſu clariùs elucebit. Nec quiſpiam ſe expem & fruſtrà operam locaturum credat, quoniam Podagrâ Hæreditariâ, quæ vulgo pro incurabili habetur, forſitan teneatur. Gaudeant certe benè nati, nec

nec inficias eo quin quæ errore proprio conquiſita eſt Arthritis faciliùs curetur, quam quæ per vitia parentum primis ſtaminibus vitæ communicata fuit; cùm tamen omnes Arthritidis ſpecies gradu tantùm, & ſecundum magis & minus non eſſentialiter inter ſe differunt, quæcunque Medicina vnam ipſius ſpeciem curat, alteram (cæteris paribus) non ſublevare & mitiorem reddere probabiliter non poterit: poſt quæ principia, tritum illud: *Quæ applicata juvant, continuata ſanant*, æque verè ac jucunde in hoc caſu ac in reliquis Medicinalibus curis, cum tempore (ſperandum eſt) ſonare poſſit.

De induſtriâ eſt quod prætergrediar datum hic campum diſcurrendi quomodo cum Semine vitia, ægritudines, mores, virtutes, & omnis generis affectiones à parentibus in filios hæreditario quodam jure deriventur. Conſulantur de hâc re Valleſius, Laurentius, A Caſtro, Bonaciola, Horſtius, Septalius, Petr. Garcia, Gaſpar à Reies &c. Nolo nota narrare, quod Spartis & Thebanis viris, ut quoque

Equo-

Equorum progeniei, de la Lanſada dictæ, Lancea; quibuſdam Stellæ; Thyeſti Cancer; Seleuco ejuſque poſteritati Anchora, innata ac inſita ab ortu ſint, quæ eadem interdum extincta ac tecta in filiis proximiſque nepotibus, aut longo poſt tempore in remotis poſteris veluti reviviſcant; ſicut Nicæus Byſantinus qui à candido utriuſque parentis colore in Avum Æthiopem degeneravit. Dicam ſolum quod in parentum membris & Semine peculiaris illa ſimilitudo filiorum virtualiter contineatur, quæ ſecundum diverſam diſpoſitionem ſubjecti & materiæ in quâ operatur vel latet, vel ſe manifeſtat: potentiæ enim pro nactâ variâ materiâ variè individuantur. Quando igitur paucius fermentum morboſum à Podagrico Patre ad generationem filii collatum à firmitudine fibrarum ſtaminalium quæ ſanior mater confert, ſatis potenter ſupprimitur & caſtigatur, ſerius & quandoque nunquam morbus paternus in filio ſe prodit, in ſeris nepotibus occaſione nactâ tandem emerſurus. Contra verò ubi copioſius fermentum & debiliores fi-

bræ ſtaminales in eodem ſubjecto concurrunt, citiùs & potentiùs filius eo quod per hæreditatem ad ipſum pertinet potitur. Quocunque modo res ſe habet, (ſecundum Mantuanum,

Qui viget in foliis venit à Radicibus humor;
Sic Patrum in natos abeunt cum ſemine morbi.)

laboret Pater, laboret filius, Subjectum mutatur non morbus; ideoque in eſſentiali parte ipſius curationis nihil mutatur, in accidentali parum. Eâdem ratione quâ in infantibus vitiatis à Lue Venereâ, quam à parentibus male ſanis cum principiis vitæ acceperunt, videmus quod iiſdem plane remediis, quibus & alii adultiores, ad perfectam ſanitatem, in Triviis, certiſſime perducantur. Unum ſolum hic ſedulo conſiderandum venit quod filius, ipſiſſimo primo die quo Podagricum inſultum patitur, jam diutius eo morbo laboravit quam Pater ejus & omnes ipſius Majores ſimul ſumpti unquam laborârunt: quapropter quàm citiſſimè, antequàm vires integræ ab hoſte morboſo ſuperentur, ſuſcipienda eſt cura; ut olim apud

pud Veteres mos fuit, poſt mortem eorum qui ex talibus morbis perierant, ipſorum filios ab ineunte ætate Medicorum curæ ſubmittere, ut (quoad fieri poſſet) præſervatio conveniens inſtitueretur: quod lib. de ſera Numinis Vindictâ ſcribit Plutarchus. Sed cui bono hæc memoro? cum deſideratiſſima *Podagra præſervet à multis morbis*. Fruantur Arthritici, per me licet ſine invidiâ, beneficio tam nobilis Antidoti, faciantque ſicut illi qui Luem Veneream uſque ad cariem oſſium nutriunt, quâ ſerventur immunes à Febre Malignâ, quæ poſſibiliter aliquando timenda veniat. Ego, cum contraria contrariis curentur, Morbo Gallico remedium Hiſpanicum (pro officio meo) proponam; & Ollam Putridam, ſive farraginem Cauſarum & Curationum hactenus uſualium, pro pompâ tantùm (fateor) & ſervandâ ſcribendi methodo, in primâ menſâ, & ante paſtum ciborum ſolidiorum, qui ſequentur, Arthritico Lectori, breviter ſaltem ſi inutiliter, offeram. Aurem enim mihi vellit his verbis Hippocrates Chemicus. *Singulorum de Podagra ſcribentium uni-*


versas singulatim hìc enumerare opiniones nihil esset aliud quàm multiplicium errorum cumulum inutili pompa coacervare : quin imò (absit verbis mendacium) non opiniones varias colligerem, sed Authorum diversa nomina solummodò recenserem, ita nimirùm sibi invicem subscribentes vix dissimilia proferunt, ut unum Scriptorem qui perlustraverit, mille imò omnes se perlustrasse, me pollicente, credat : tam pauci nempe sunt, qui aliquid novi de suo utiliter moveant. Rectè pro hâc occasione Hippocr. de Diætâ. *Si quis omnia similia faciat, nulla aderit delectatio*. Ego, pro me, nihil potius eligerem dicere quàm quod dictum prius : Propterea de his parùm sollicitus aliis,quibus libet, hanc arenam relinquo.

Causa, & Curatio Antiquorum. Antiquitas primò veneranda posuit causam Podagræ in Fluxione humoris Biliosi, Pituitosi, &c. & in imbecillitate Articulorum. In curâ (innumeris Præparantibus, Syrupis, Potionibus, Emulsionibus, Julepis, Bolis, Pilulis, Evacuantibus, Eccoproticis, Minorativis, Eradicativis & 600. aliis perficiendâ) considerabant I. Humo-

morem influentem, ſcilicet Cerebri, Jecinoris, &c. excrementum; II. Partem Mandantem, ſcilicet Cerebrum, Jecur, &c. III. Partem recipientem, ſcilicet Juncturam affectam: IV. Viam per quam Humores defluunt, ſcilicet inter carnem & cutem, vel per continuitatem membranarum, &c. terminis ignorantiæ ipſorum in rebus Anatomicis monſtrandæ accomodatiſſimis, &c.

Paracelſus, Tartareitatem, Sal Minerale Sylveſtre peregrinum, aut liquorem Acetoſum in Synoviâ, Sulphur accenſum, Grandines, &c. purgando cum Helleboro Nigr. Aſaro, Mercurio Fixo, Sanguinem ægri Formicis in marmore devorandum dando, Unguento Sympathetico &c. curat. *Paracelſi.*

Helmontius Archæum laborantem, & Synoviam ab ingruente Aciditate grumeſcentem, Caſei-formem & opacam redditam, primùm auferendo Characterem Seminalem Podagræ è Spiritu Vitæ, cum Arcano ſuo Corallino, quod Podagram in ipſo ſuo ſemine interimit; per Magnetiſmum Mumialem, & Tranſplantationem inexplicabilem, curare ſatagit. *Helmontii.*



Willisij. Willisius, in aliis curis quàm in hâc felicior, litigiosam Humorum effervescentiam, dolorificas Nervorum vellicationes exinde ortas, & Spirituum irritatorum furias, Alterantibus, Evacuantibus, præcipuè Electuario Caryocostino, Pilulis Fonsecæ, Mercurio Dulci, Balsamo Peruviano, Emplastris, Opiatis &c. compescere conatus est.

Sennert. Majer. Sylv. Sydenh. Tachen. &c. Sennertus, Majerus, Sylvius, Sydenham, Tachenius, & multi alii practici celeberrimi, singuli aliquid notatu dignum, & suo modo, loco & tempore non inutile invenerunt. Sed quis ad nauseam Lectori innecessariò movendam, omnia omnium Scriptorum recensebit? Longè alia aliò me avocat Provincia. Manum de Tabulâ.

Proœmium. Jam nostri jungendi sunt currus, & in Ludo hoc Medico-Olympico nobis etiam agiles igniendæ sunt rotæ. Et jam valete Veteres, laboriosi Idealium Terminorum Fabri, Verbali Medicinâ Excellentissimi. Accedite Cordati Consultores omnes, qui Hydraulico-Pneumaticam Corporis Humani Machinam, per Anatomen & Chemiam, ac Speci-

aliter

aliter per Experimenta Naturalia, explicare satagitis. Propitius mihi sit beatus semper superstitis Willisii Genius! & faveat Nobilissimus Philosophorum Pindarus, solùm mori impotens, Boylæus!

Datur Corpus Humanum? Nec ipsi Cartesio permissum est dubitare. *Corpus Humanum.*

Constat partibus Osseis, Muscularibus, Arteriis, Venis, Nervis, Vasis Lymphaticis, &c.? Consulantur Tonsores, & quotcunque titubantibus digitis, in tryumphatis Canum debellatorum Visceribus, sub Excellentiss. Drelincurtio Coryphæo, Naturam Humanam indagantur primi Medicinæ Tyrones. Quicquid in Bibliothecâ Anatomicâ affirmatur, dictum ex ipsâ Veritatis Tripode credendum est; & Axiomatibus illis, ad oculum Demonstrativis, in largâ illâ Sacrâ Scripturâ Medicâ (sit dicto Venia) sparsim fusimque præmissis, Nos hanc non minùs Sensibilem Morbi Articularis Anatomiam, Analyticè sic, superædificamus. *Arteriæ, Venæ, Vasa Lymphatica, &c.*

Cùm primarium hujus Morbi Sympto-

Dolor. ptoma ſit Dolor, à quo igitur communiori Medicorum conſenſu (à quibus nunquam, niſi coactus, ſum diſſenſurus) ſumitur ejus Definitio: rurſus Dolor ab iiſdem ſtatuatur ſenſus moleſtus à Solutione Continui ortus; quod, quia in ſimili aſſertione nihil à rectâ ratione alienum deprehendimus, plenâ manu pariter concedimus: reſtat, ad intimiùs intelligendam importuni hujus Phænomeni Naturam, ut omnia Corporis Phyſici Principia conſtituentia ſingillatim examinemus, quo meliùs quodnam ex illis poſſibiliter (ſi probabiliter non ſufficiat) tale conſtitutum eſt ut aliis Sociis Principiis tam enormem vim inferre, & violentam injuriam facere valeat, clariùs & diſtinctiùs perſpiciamus.

Dolor eſt Senſus moleſtus à ſolutione Continui ortus.

Examinatur quid poteſt facere ſolutionē Continui.

Cùm Principia Metaphyſica & Univerſalia poſſint idealiter tantùm Subjectis Phyſicis & Individuis, non realitèr, applicari; ægrotorum autem cura Actum non Potentiam, facta non Notiones requirat: oportet ut Principia Senſibilia, id eſt, quæ cadunt ſub ſenſu externo, pro jaciendo fundamento Scientiæ Practicæ, ſtabiliamus. Quando

Oportet ſtatuere Principia Senſibilia.

do enim adepti fuerimus Principia quæ possint certò Demonstrari quod sint realiter hìc & nunc existentia, illisque superstruere aliquid substantiale & durabile voluerimus; rectè fundata equidem spes esse poterit, quod corpus à corpore, solidum à solido, possibile sit suffulciri: Sed conari Verbis Res superædificare, Chymericum pro Equo Hirco-Cervum iter facturo cuipiam præbere, & longas Medicandi consultationes in aquâ scriptas ægro porrigere, (hoc diei) appellatur in Modo & Figurâ nugari, ægroto aerem pro Pharmaco propinare, & pro Obulo, qui Medicis persolvitur, Restem mereri.

Talia autem Principia quæ in Mixtis quibuscunque, præcipuè verò in Regno Animali, sub quo comprehenditur Homo, de quo hic agitur, (quocunque modo instituitur illius Anatomia) sunt solùm quinque; viz. Sal, Oleum, Spiritus, Aqua, & Terra; quæ omnia, sola & semper, possunt in quocunque dato Subjecto ad oculum, linguam, digitum, &c. palam demonstrari.

Quinq; Principia, Sal, Oleum, Spiritus, Aqua, Terra.

Jam

Aqua & Terra nihil agũt. Jam ex his Quinque primò ſe offerunt examinanda (ut prompta eſt innocentia) duo Paſſiva, ſcilicet Aqua & Terra, ideo Paſſiva dicta, quia nihil agunt in Compoſitis (quapropter à Paracelſo, qui tria tantùm Principia ſtatuit, pro Principiis non admittuntur) quæ ab omni ſuſpicione affectandæ in alia Principia tyrannidis perfectè libera, Nemine Contradicente, demittuntur.

Spiritus non eſt Principium. Dein ex tribus Activis, viz. Sale, Oleo, & Spiritu, à quibus omnis Motus Internus producitur, Spiritus è numero Principiorum, tanquàm redundans & ſuperfluus, debet rejici: nam Spiritus Animalis (ut taceam de aliis) Ex. gr. Spiritus Cornu-Cervi, Sanguinis Humani, &c. nihil aliud eſt quàm Sal Volatile in paucâ quantitate Phlegmatis diſſolutum. Cujus veritatis Argumenta, & ampla probatio, ex libris Chemicorum, Lemery, &c. per otium, poſſint peti. Adeo ut reſtet culpæ accuſatio inter duo, viz. Sal & Oleum diſcutienda.

Tandem Oleum, cùm communi omnium Philoſophorum judicio conſtet

ſtet partibus ramoſis, hamatis, lamellulatis, hincque tenaciter ſibi adhærentibus, mollibus, teneris, & facilè flexibilibus, officiumque illi aſſignetur alia Principia colligare, Salium acrimoniam retundere, & ſimilia; quæ dolori, id eſt, Solutioni nullo modo competunt: reliquum eſt ut Sali, quod eſt Subſtantia incidens, penetrans, & aculeatis punctorum haſtis naturaliter armata, tanquàm hujus effectus producendi unicè capaci, productum totum attribuamus.

Oleum non poteſt facere Solutionem.

Solum Sal poteſt facere Solutionem.

Nunc venit coram Ratione & Experientiâ Judicibus ſiſtenda inimici hujus Salis natura; quâ probè cognitâ, parti ejus peccanti adæquatè correctivum eò juſtiùs feretur remedium. Omne autem Mixtorum Sal in tres ſpecies dividitur; in Fixum, Volatile, & Eſſentiale: quæ ſic communiter in libris Chemicornm deſcribuntur. Sal Fixum eſt illud quod poſt materiæ alicujus calcinatæ diſſolutionem in Aquâ, filtrationem, & evaporationem iſtius Aquæ, tandem ſiccum in fundo Vaſis reperitur. Sal Volatile eſt illud quod quamprimùm parùm calefit, ſta-

Tres Species Salis.

Sal Fixum.

Sal Volatile.

tim

tim in altum ſublimatur. Sal Eſſentiale eſt illud quod ex Succis (Plantarum communiter) per Chryſtalliſationem (propter defectum artificii efficacioris) elicitur. Hoc ultimum Sal eſt medium inter Volatile & Fixum.

Sal Eſſentiale.

Jam videamus quodnam ex his tribus de dolore Podagrico ciendo veniat nobis rectè & jure accuſandum. Quoad primum, Sal Fixum in pauciſſimâ quantitate in Animalibus, imò in aliquibus eorum ferè nullum, reperitur: neque verò aliquid tale à Naturâ primitùs fabricatum fuit, nec quid Naturale eſt, ſed factitium ex partibus terreis & ruptis Salium lanceis invitò & præternaturaliter ab igne conjunctis, ex violentâ & injuſtâ (extra propriam ſphæram) calcinatione reſultans. Tranſeamus igitur ab uno Enti non naturali aut ſimplici ad aliud, nempe à Sale Fixo ad Volatile; quod, cùm totum ferè Sal Animalium ſit tale, ſi præparationes vulgares ſolùm conſideremus, timendum eſt quòd ab hujus effectus reatu non tam facilè quàm Fixum, quod præceſſit, ſe ſit expurgaturum.

Sal Fixum non datur in Natura, ſed fit ab Arte.

Et

Et tamen Volatile non eſt Sal noſtrum hoc Ætio-podagricum; cujus rei poſſumus eſſe certi, quoniam I. hoc Sal non facilè ſublimatur, id eſt, difficulter relinquit Criticè ſedem & Centrum ſuum, ſcilicet Perioſtea, Membranas oſſium capita inveſtientes, &c. pro circumferentiâ, ſcilicet cute externâ, quam petit, penetrat, & facit occupare majus ſpatium, quando partem affectam exteriùs inflat, & avolans liberam à dolore relinquit. II. quoniam rariſſimè eſt contagioſum. III. *quia Spiritus Animales, qui nihil aliud ſunt quàm Salia Volatilia in Phlegmate diſſoluta, morborum multorum tuti depulſatores, & præſervatores ſunt; nec aptiores humoribus dulcificandis poſſunt inveniri particulæ, quàm hæ Volatiles* (id eſt, ſubtiliſſimæ ex Eſſentialibus) *Impetum facientes: hæ enim ab unctuoſa Cerebri ſubſtantia poſt tantam circulationem derivatæ, in ſenſiliſſimis nervis nulla poſtmodum aculeorum rudimenta produnt. Iungken. Sect. 2. Cap. 5.*

Sal Volatile non eſt Naturale, ſed Artificiale.

Non eſt Cauſa Podagræ.

Ponamus igitur hoc Sal Eſſentiale; & quidem tale naturaliter comparatum eſt; cùm reliqua duo, ſcilicet

Solum Sal Eſſentiale eſt Naturale.

licet Fixum & Volatile, aliquid Artificiale ſonent, & valde dubium ſit nùm, quatenùs talia, exiſtant in Rerum Naturâ abſque ope Artis, cùm compertiſſimum ſit quod abſque ope Artis nunquam & nuſquam demonſtrari poſſint.

Sal Eſſentiale dolorum Podagricorum unica Cauſa.

Habemus hucuſque Sal unum Eſſentiale, quod nec Volatile, nec Fixum eſt, ſed medium inter utrumq; primitùs ex Chao in Elementa ſuſcitatum, nunc quotidie ex Elementis mediante Aere in Terram, ex Terrâ ad alimenta, ex alimentis ad Corpus, adventitium; in quo poni cauſam immediatam & efficientem omnium dolorum Podagricorum affirmamus.

Salia non agunt abſq; vehiculo.

Quandoquidem verò hoc Sal ſolitarium nihil agit in Subjecto, ſed ad actionem ſuam liberè exercendam neceſſariò aliquod menſtruum pro Vehiculo requirit, ſecundum illud Axioma Chemicum, *Salia non agunt niſi reſoluta*; longiùs vagari non opus eſt ut in Humano Corpore diſſolvens, Sali noſtro exactè proportionatum, offendamus. Nec opus eſt omnia Principia ſingillatim de novo examinare,

cùm

cùm videamus Sal, Ex.gr. Tartari, exiccatum injectum in Mixturam Aquæ & Spiritûs, Ex. gr. Spiritum Vini non dephlegmatum, subitò imprægnare partem Aqueam, & in eâ tantam ejus quantitatem dissolvi, quantam Aqua capax est tenendi suspensam; Spiritum verò omninò separatum purissimum relinqui & intactum. Videmus enim providam Naturam in Humano corpore magnas Aquarum Thesauros in innumeris Aquæductibus, vel Vasis Lymphaticis, probabiliter in hunc præcipuè finem coacervâsse, ut, crescenti ex quotidianâ ingestione alimentorum, gravi copiæ salium sufficerent diluendæ. Nec opus est ut Argumenta hujus satis notæ Veritatis hic corradam, cùm commodiùs possit consuli de hâc re Bibliotheca Anatomica: & tamen obiter Lymphæ Anatomiam breviter hìc adjiciam. Illa autem præbet copiosum Sal Volatile (tale per ignem factum, quod naturalitèr fuit Essentiale) Fixum nullum, Phlegmatis satis, Olei parùm, & Terram omnium paucissimam. Adeò ut videamus Aquam esse Aquam tam intra quàm extra Corpus

Aqua est proprium Vehiculum Salis.

Lympha Vehiculum Salis in Corpore Humano.

Lymphæ Anatomia.

Lympha est plena Salis Essentialis.

pus humanum, & ubicunque fuerit, ſemper videri quæſtum Salis, quod poſſit diſſolvere, avidiſſimè (pro naturali ſuo) appetere & ferè unicè intendere.

Deduximus hactenus Sal Eſſentiale Microcoſmicum in Lymphâ ſuâ, tanquam Behemoth Podagricum in Profundo dolorum mari, pinnatis aculeis ſuis, ſublimiter ſuperbum, luxurians.

Examinatur quomodo Sal poteſt cauſa dolorum Podagricorum eſſe.

Videamus nunc quomodò hoc Sal, ſic in ſuâ Lymphâ vectum & ad partes delatum; ſive hæc Lympha ſalſa, Eſſentiali-muriatica, in ſingulis partibus ad quas accedit, cruciatus hos truculentos, atrocia tormenta, valeat efficere.

Sanguis Venoſus Caput Mortuum Sanguinis Arterioſi.

Cùm ſit Lippis & Tonſoribus notum quod Sanguis Venoſus, vel qui in Venis reperitur, nullus alius ſit quam Caput Mortuum (ut ſic dicam) reſiduum illius Sanguinis Arterioſi, qui in ſingulas partes, pro earum nutritione, fuit diſtributus; id quod colore, odore, ſapore, & exactiùs inſtituto examine per Chemicam Principiorum Separationem (veram illam unicam Mixtorum Anatomiam) patet. Rurſùs

sùs videre eſt & notare, quod omnia Vaſa Lymphatica, ex quâcunque parte oriuntur, rectâ viâ & immediatè tendant & ferantur ad proximas Venas, in quas recluſo oſculo hiantia exonerantur; alia verò quæ Receptaculo Communi aut Ductui Thoracico viciniora ſunt, in utrumvis illorum, pro vicinii commoditate nactâ, Lympham ſuam deponant. Hinc judicârunt oculatiores hujus Phænomeni Obſervatores, quòd Officium & Uſus Lymphæ ſit quàm proximè ſe transferre ad Chylum vel ad Sanguinem Venoſum, illoſque diluere & reddere fluidiores: cujus manifeſtiſſimæ Veritatis non pauciores teſtes ſunt & (ſi opus) protelatores, quàm quotquot per Uniuerſum Orbem, Novaculâ pro Acinace, Lanceâ pro Haſtâ, Cucurbitulâ pro Galeâ, Pelvi pro Clypeo, Syphone pro Sclopeto ſatis ſuperque armati ſunt magnanimi Barbitonſores. Hi enim, pro profundâ ipſorum Sapientiâ, Ligaturæ Circulum Magicum facientes, ſubitò ex primâ oblatâ Venâ, Spiritus Rubros cum Virgulâ ipſorum ferreâ potenter evocant: illi verò ſtatim poſt

Bourdon. Artic. 8. de Vaſis Lymphaticis.

Uſus Lymphæ reddere Chylum & Sanguinem Venoſum fluidiores.

Uſus Lymphæ Demonſtratio Chirurgica à Venæ Sectione ſumpta.

èxitum, quaſi de induſtriâ, dextram verſus & ſiniſtram; ſe in albos & rubros ſeparant; vulgus rudius Sanguinem & Serum ſeu Aquam vocat, aſt Hippocraticus Magiſter, Palladis divinâ arte inſtructus, præmonſtrans partes Fibroſas, ad motum tam intra quam extra corpus, ſine ope Lymphæ, prorſus impotentes, hanc certam Uſûs Lymphæ Demonſtrationem, verè Mechanicam, appellat. Sed tranſeat nugator: cum ſtultorum plena ſint omnia, oportet ut alicui deliramento & hìc etiam locum ſuum concedamus.

Sal Eſſentiale in Lympha cū Sanguine in toto corpore.

Vidimus igitur Lympham, Sale ſuo Eſſentiali onuſtam, neceſſariò per totum Corpus Humanum, & omnes ejus ſingulas partes, à totâ maſsâ Sanguineâ protinus inſeparabilem. Conſequenter cauſa Podagræ eſt ubique; tam in Hepate, Pulmonibus, Cerebro, Corde, &c. quàm in Manibus, Genubus, Pedibus, &c.: quare verò in hiſce partibus, potiùs quàm in illis, ferocia hujus Morbi Symptomata ſe produnt monſtrantque ſeſe communiùs, aures arrigere hic eſt, hic mentes advortere.

Cauſa Podagræ eſt ubique.

Cur dolores Podagrici excitantur potiùs in pedibus, manibus, &c. quàm in alijs partibus.

Cùm

Cùm ſit Demonſtrabile quòd Nervi ſint illa Inſtrumenta quibus mediantibus Spiritus Animales inter Cerebrum & quamcunque partem corporis liberè diſcurrunt, & quorum ope Ideæ omnes omnium rerum ſenſibilium, quomodocunque nos afficientium, animæ noſtræ offeruntur; ut patet, cùm ex ſolâ diſciſſione Nervi, totalis abolitio ſensûs in illâ parte neceſſariò & ſubitò ſubſequatur: hinc prono quaſi alveo fluit, dolorem in ſolis partibus Nervoſis poſſe cieri. Rurſùs, quòd hi Nervi, variè in anguſtius vel latius contexti, conſtituant partes membranaceas, ſcilicet Perioſtea, Tendines, aliaſque ſenſiles; ſi non de Fide ſit in Anatomiâ, acuat ſibi cultellos, armetque Microſcopiis oculos, & non mentitura conſulat cadavera profanior, hoc lucis, Sacræ Artis Adjdymus. Saltem quòd hæ partes, ſcilicet Membranæ, Tendines, &c., ſint ſenſu exquiſitiſſimo præditæ, in omni aut Vulnere aut Ulcere, ubi illis accidit denudari, quotidiè poteſt fieri periculum. Ulteriùs, quòd in hiſce partibus Nervo-membranaceis, circa Articulos potius quàm in

Nervi ſunt Organa ſentiendi.

Dolor non poteſt ſentiri niſi in partibus Nerveis.

Perioſtea, Tendines, &c. ſunt Nervi variè diſpoſiti.

Sedes dolorum est in partibus Nerveis circa Articulos, non in ipsa cavitate eorum.

in ipsâ interſtitiâ cavitate Articulorum, Tophi (qui veſtigia & lectum Podagræ clarè indicant) concreſcunt, Calx illa in tot Voluminoſis Obſervationum Sckenkiis effoſſa, largo ore teſtatur. Unde per inductionem certiores facti ſumus Sedem propriam Arthritidis, id eſt, partes Affectas in Arthritide eſſe membranas vel partes ſenſiles: quoniam verò hæ membranæ vel partes ſenſiles in majori copiâ concurrunt circa Articulorum juncturas, cum peculiari diſpoſitione harum partium, quam ſtatim explicabimus, dolor in hiſce partibus ſenſibiliùs quàm in aliis excitatur: cùm è contrario in partibus quæ nervis minus inſtructæ ſunt, licet Venis & Arteriis abundè pollentes, minor dolor percipiatur; Ex. gr. Pulmonibus, Hepate, Liene, &c., in quibus vel nullus vel tantùm obtuſus dolor obſervatur.

Particularis ſtructura.

Diſpoſitio particularis eſt talis.

Explicatio ſtructuræ Particularis.

Circa Articulorum juncturas nihil in Anatomiâ, ideòque & Naturâ, conſpiciendum venit, niſi Nervi, Tendines, Membranæ, & Perioſtea: ſunt omnes partes ſenſiles, imò omnes ipſa

ſen-

ſenſationis organa nobis à Naturâ aſſignata.

De Nervis, qui nihil aliud ſunt quàm faſciculi plurimorum eorumque tenuium canaliculorum ex albâ ſeu Medullari Cerebri, Cerebelli aut Medullæ Spinalis ſubſtantiâ progredientium, qui omnes, acceptâ ab utriſque Meningibus membranâ inveſtiti & indurati, per integrum corpus expatiantur, jam paulò antè dictum eſt. Num hi Nervi ſint cavi, Cannæ Indicæ in modum, foraminulis perforati, & quomodo iis mediantibus ſentimus, non eſt hìc conſiderationi locus. *Definitio Nervi.*

Tendo nihil aliud eſt quàm collectio Fibrarum Motricium (Canaliculorum Nervóſorum) quæ laxiùs junctæ in medio Muſculi partem carnoſam ſive Ventrem conſtituerunt, in extremitate autem arctè invicem connexæ in Tendinem dictum contextæ ſunt. *Definitio Tendinis.*

Membranæ Tendinoſæ vel Nervoſæ ſunt partes, quæ ex variis fibrillis Fiſtuloſis conſtant; latæ, planæ, albæ & facilè dilatabiles, quibus viſcera, inſignes cavitates, muſculi, aliæque partes circumambiuntur: inſtrumentis *Definitio Membranæ.*

quoque ſunt quorum ope exquiſitè dolorem ſentimus. Nihil aliud referunt, quàm Nervos expanſos, fibris muſculoſis aliquando intextos: Perioſteum, inter membranas communiter numeratur; Si dicas nihil aliud eſſe quàm Tendines Muſculorum elongatos vix errabis, ſi ſatis inſigni Anatomico fides haberi poſſit.

Perioſteum.

Jam quare in hiſce partibus cientur illi dolores truculenti de quibus Arthritici ita queruntur, duplex & (ſi opus) multiplex armata ratio ſtatim in apricum proſilit & militat.

Circa connexiones Articulorum nihil aliud reperitur quàm Nervi, Tendines, & Membranæ vel (potiùs, aliis verbis, nam eodem redit) Nervi variè, pro variâ occaſione, contextim complicati. Quandoquidem verò hi Nervi, ſive fuerint ſimplices & nomen retineant, ſeu fuerint collectio omnium Canaliculorum fibroſorum alicujus Muſculi & Tendines vocentur, ſive in latius contexti fuerint & membranæ appellentur, nunquam à continuo influxu Sanguinis Chylo-Arterioſi, propter ipſorum nutritionem, à primo

Sal Eſſentiale in Lympha perpetuò ad membranas &c. juxta Articulos defertur.

mo puncti salientis pulsu & anteà, usque ad ultimam halitûs expirationem, fortiter & perpetuò in omnes totius corporis partes minimas adacto, possunt naturaliter quiescere: cùmq; Massa Sanguinea, ex partibus & Substantiâ & figurâ differentibus composita, in singulis partibus filtretur tali modo ut ejus particulæ quæ sunt adaptatæ, propriæ, correspondentes & homogeneæ quibuscunque partibus ad quas pervenit, in illis se sistant maneantq; pro Nutritione seu Augmento ipsarum, dùm intereà aliæ sanguinis particulæ transeunt plus ultra, & per circulationem acquirunt dispositionem illis convenientem ut possint impendi incremento aut resarcimento omnis individuæ partis: accidit in Arthriticis, quorum Lympha in Sanguine ipsorum copioso sale est imprægnata, ut unum vel alterum punctum hujus Salis, vel utrumque simul (nec plura forsan in principio) impingat leviter in aliquam ex his fibris Nerveis. Nec gratis certè hoc asserimus, scilicet, quod impingat in hanc partem potiùs quàm in aliam; vel in Tendinem potiùs quàm

Sanguis Arteriosus filtratur in omnibus partibus: à qua filtratione Sãguis Venosus in suis Venis, Lympha in Vasis lymphaticis versus Cor redit.

Quomodo fit Nutritio.

Podagrici habent nimiũ Sal pro proportione Lympha.

Unum vel duo puncta Salis leviter impingunt se in aliquam Fibram Nerveam.

Ratio quare Sal se impingit in Fibram aliquam ad Articulum potiùs quam in medio Crure, femore, & brachio.

quàm in Musculum, & sic de cæteris, quum negari non possit, nec etiam concipi ferè, quin omnis separatio humorum fiat per filtrationem; filtrum autem densius vel cribrum stipatius (quale est Tendo comparatus cum suo Musculo, ut patet ex ejus Definitione) capax est & maximè idoneum transitui negando huic vel illi spiculo Salis, vel utrique transituro simul, quod liberè per cribrum Musculorum laxius anteà multoties transierat, & adhuc potuerat transjisse.

Id restat in cribro denso quod per Cribrum laxius liberè transit.

Tendo est cribrum densius comparatus cum Musculo laxiori.

Habemus jam primam hastam projectam in aciem; cecinit tuba ad pugnam, confluunt subitò turmatìm per inflatos turgidosque Canaliculos influentes spiritus (ut par est) ad auxilium; & per istum influxum cùm interstitia, per quæ sanguis & humores transire debent, reddantur angustiora, unde plura salia in parte sistuntur, illi (scilicet sanguis & humores) sese ideo non inhibent, sed à tergo semper alii alios continuò premunt, & vi unitâ ac multitudine efficiunt quod virtute & acumine, vel per Natu-

Confluunt Spiritus ad partẽ unde interstitia redduntur angustiora, & plura Salia sistuntur in parte.

Sanguis & humores retrò pellentes per circulationis necessitatẽ cogunt Salia

tu-

turam vel Morbum acquisito, nunquàm potuerant fecisse: hinc primò nascitur quòd una aut altera Fibrilla filtri sive Cribri nostri Membranacei loco cedat & forsan rumpatur: unde sequitur Extravasatio.

quamvis impedita tamen transire, unde fibra aliqua disrumpitur vel saltē spatium inter duas fibras majus relinquitur unde sequitur Extravasatio.

Ruptâ jam fluminis ripâ totus campus circumvicinus facilè inundatur; rupto primo Maris Lymphatici aggere aut repagulo, totum statim Belgium Membranaceum submergitur.

Nec locus est hic suspicioni, quod hæc explicatio non sit justa; nam in omni dolore certum est quod aliquid (ideoque Sal, ut patet ex Præmissis) vel cæsim vel punctim aliquam partem sensibilem afficiat; ubicunque autem cuneus hic salinus semel infixus est, nulli reperiuntur forcipes animati, discursivi, & rationales, qui retrò venientes clavum impactum & hærentem cum judicio retrahant; oportet ut à continuo circulantium humorum flumine concutiatur & pellatur ut tandem transeat; transitu suo violento oportet ut efficiat spatium majus, & majorem distantiam inter duas fibras post se relinquat; & datâ portâ oportet

Ulteriùs explicatur quomodo impossibile sit ut non fiat Extravasatio.

tet ut humor extravaſatus ruat; oportet ut fluentum invocet fluentum: & ſi venienti morbo opportunè non occurratur, Abyſſus cum tempore Abyſſum invocabit.

Sanguis non extravaſatur cum Lymphâ, quia materia non ſuppuratur.

Nec ſequitur hinc, cùm detur talis Extravaſatio, quòd, quando Lympha tranſit, tranſire debeat etiam & ſanguis; nam ſanguis pauciſſimus tranſit, quia materia nunquam ſuppuratur.

Explicatur modus quo fit extravaſatio Lymphæ abſq; Sanguine, per Exempla intra corpus.

Neque aliquid novi, aut diverſum à reliquarum partium œconomiâ, & difficile creditu, hìc ex Phantaſticâ aliquâ Affricâ quæſitum apportamus: nam Hepar Bilem, Pancreas Succum Pancreaticum, & Renes Urinam, &c. pro diversâ filtrorum ſtructurâ, diverſos humores ſeparant; cùm tamen omnes hæ partes ſanguinem liberè ultrà tranſire permittant. Et poſſunt quidem hæc filtra particularia dilatari, & forſan diſrumpi, ita ut humor appropriatus multò majore copiâ quàm ſtatus Naturalis requirit, effuſus per ea tranſeat; & tamen ſanguis, nihilo plus extravaſatus, legem circulationis exactè obſervet: ut videre

re est in Cholerâ morbo, Diabete, & similibus. Extra corpus etiam, si in Chartam bibulam aquâ priùs imbutam Oleum & Aquam simul infundamus, aquam transire & oleum in filtro resistere; in chartâ oleo imbutâ oleum transire & aquam relinqui quotidiè in Tonstrinis videmus, aut si unum latus ejusdem filtri imbuatur Oleo, alterum verò Aquâ, eodem tempore, hàc aqua, illàc oleum transibit: imò eandem vel similem chartam cultro abradere aut alio modo debilitare, hoc est, fibras ejus laxiores reddere possumus, ita ut liquor illi congruus cum majore libertate, & minùs depuratus quàm anteà, transeat; & tamen incongruus sufficienter in filtro resistat. Nec quicquam contra nos facit si concedamus quòd aliqua quantitas sanguinis in magnis Extravasationibus unà cum Lympha effluat; neque enim inde sequetur quòd materia debeat suppurari: nam cùm suppuratio absq; fermentatione non possit fieri; rursus ad Fermentationem requiratur justa proportio Salis; nimia autem ejus copia omnimodam

Per exempla extra Corpus.

Quamvis Sãguis extravasaretur, ratio quare Materia non possit suppurari.

Quid sit Suppuratio.

fer-

fermentationem impedit: ut videre est in Conditura Cucumerum cum Aceto, Carnium cum Sale, &c. Quamvis enim Sal in mediocri quantitate (Ex. gr. ut in fermento Panis, vel in coagulatione lactis cum aceto, quod nihil aliud est quàm sal fluidum in suo phlegmate) adjungens se sali naturali illius materiæ, seu fuerit panis seu lac, seu quodcunque fuerit, capax est quasi stimulo promovere & excitare illum ejus motum, ad quem naturaliter fuit dispositum, absque periculo obstruendi poros ejusdem materiæ per nimiam copiam punctorum quibus non abundat; è contra cùm magna quantitas Salis Mixtum aliquod circundat, subitò spicula salina in corpus illius Mixti sese altiùs impingunt, & quasi totidem palis, cuneatim infixis, partes ejus in firmâ & incorruptibili quiete retinent & conservant.

Quomodo fit Fermentatio.

Quomodo conservantur res incorruptæ per condituras, Muriam, &c. beneficio Salis, ut Cucumeres, Caro, &c.

Et quod tali modo operetur Sal nostrum Arthriticum non tantùm patet ex Naturâ Salis, ut talis, sed etiam ad sensum externum, scilicet Tactum, clarè est evidens.

Quomodo operatur Sal Arthriticorum.

Quam-

Quamprimùm enim extravaſatur in largum campum Membranarum, Tendinum, aliarumque partium ſenſilium circa Articulorum juncturas, tanquàm Aqua Marina in Areas Salinas, ſubitò torpor (nam pars capta, & confixa clavis ſalinis detenta eſt) dein ſubſequitur dolor terebrans, lancinans, pungens, rodens, lacerans, contorquens, contundens, gravans, pulſans, urens, ardens, aliuſque multiplex qui inter ſe, gradu tantùm, non eſſentialiter differunt.

Quomodo fit Torpor.

Primum autem Symptoma (ſi bene obſervetur) ſemper eſt Torpor & aliquis gradus impotentiæ ad motum; nam ſic quoque convenit, & rectæ rationi conſentaneum eſt, ut quamprimùm captus eſt (ſeu fuerit in Bello Extero, vel Inteſtino, ſeu totus homo, vel ſolùm Articulus) ſtrictiùs ſtatim detineatur captivus. Hæc autem detentio quando accidit Muſculis oppoſitis, ſcilicet Contractoribus & Extenſoribus alicujus Articulationis (quia impedire Extenſionem partis eſt realiter eam contrahere & convellere) tertiam eamque præcipuam

Con-

Convulſionis Speciem conſtituit.

Error Sennerti. Sit igitur cum bonâ veniâ Sennerti, Eraſti, aliorumque Dominorum in Medicinâ illuſtrium, qui non dedignantur cum bono Homero in Nepenthi-polio ejus interdum dormitare, & nos audebimus affirmare quòd nullus alius quàm Tetanos hanc impotentiam ad motum Articulo induxerit. *Quomodo Impotentia ad motum fit per Convulſionem Tetanon.* Quòd Emproſthotonos & Opiſthotonos partem nequaquàm afficiant facilè utrâq; plenâ manu concedimus: faxit Deus ut ſucceſſivè ad libitum ſuperveniant, & ſic opus ulteriori remedio nobis non erit. Sed ut probetur quòd Tetanos (qui tunc fit cùm Muſculi Antagoniſtæ, vel Tendines ipſorum, eodem tempore pariter convelluntur) *Quid ſit Tetanos.* ſit ille Lictor qui partem captam & clavatam detinet, ſufficit ut in Articulo affecto fiat examen: nam ſi inflectatur antrorſum ut contrahatur, Tendo Muſculi Extenſoris non conſentit; ſi rurſus retrorſum flectatur ad extenſionem, Muſculus Contractor viciſſim renititur. Si hi Domini non agnoverint Tetanon pro Specie Convulſionis, aut aliam expoſitionem Tetani huic diſſimilem tra-

dide-

diderint, nos hucuſque nunquam acceperimus. Et quod hoc modo operetur Sal noſtrum Arthriticum Extravaſatum, non tantum monſtratur à poſteriori, & per inductionem ex impotentiâ ad motum, quæ ex Tetano neceſſariè conſequitur; ſed patet etiam ad ſenſum externum, ſcilicet Tactum, in Formicatione: nam non poſſumus meliùs concipere quomodo producatur hic affectus, quàm admittendo quòd Sal hoc, natans in ſuâ Lymphâ, extravaſatum in partes ſenſiles circa Articulos (diximus ſicut Sal in Aquâ Marinâ in ſuas Areas Salinas) leviter principiò paxillos ſuos in partes illas, per totam earum extenſionem, infigat; deinde ſucceſſivè ſupervenientes undulatim, per circulationem humorum, fluctus ordine nunc hunc, nunc illum, palum concutiat aliquantulùm aut impingat; hinc provenit quòd percipiatur ſimilis ſenſatio in diverſis locis, & quidem ſucceſſivè, ut fluctus alii aliis ſuperequitant, vel formicæ, pede poſt pedem in ſolum miſſo, corpuſcula ſua protrudunt. Et ſi quando hæc formica pungere, & ſtimulum ſuum

Quomodo fit Formicatio.

per

per viam, dum progreditur, interdum infigere videatur, hoc nihil aliud eſt quàm palus ſalinus ibi loci altiùs infixus, & probabiliter ideò major latiorque quoad ſuum ſpiculum, in quod humores affluentes, ſecundùm majorem latitudinem violentiùs ſe impingunt. Sed præſtat ut examinemus præcipua Morbi hujus Signa Diagnoſtica, quæ antea recenſuimus, ita ut quod ab Univerſalibus affirmatur, particularium omnium & ſingulorum (ut par eſt) teſtimonio & fide datâ comprobetur.

Explicatio Signorum Diagnoſticorum.

Diximus quòd antequam Paroxyſmus Doloris Articularis ſuperveniat, ſuppreſſio Urinæ, Sudoris, Sputi, &c. ſemper ferè præcedat. Ratio patet ex ipsâ Morbi Definitione: nam quando Sal Eſſentiale non ampliùs evacuatur, ut ſolitum eſt, per vias excretorias illas externas, ſequitur neceſſariò quòd debeat ejus copia intra corpus augeri & creſcere; in cujus præternaturali augmento totam Eſſentiam & Rationem morbi conſiſtere non immeritò affirmavimus.

Unde ſuppreſſio Urinæ, Sudoris, Sputi, &c.

Venæ in membris, ad quæ tor-

tor venturus eſt, viz. in pede vel in manu, communiter diſtenduntur, & ampliores redduntur. Diximus quòd Maſſa Sanguinis ex partibus Subſtantiâ & conſequenter Figurâ (nam Forma ſequitur eſſe) differentibus compoſita, quando fertur in omnes partes corporis, in illis filtretur tali modo ut ejus particulæ quæ ſunt adaptatæ, accomodatæ & correſpondentes alicui parti corporis ad quam pervenit, in illâ ſe ſiſtant maneantque pro nutrimento illius, dum aliæ ſanguinis particulæ, per circulationem, progrediuntur ulterius, &c.; Quomodo autem ex eâdem maſsâ ſanguineâ in diverſas partes delatâ (etiam in eâdem parte) liquores quoad intrinſecam eorum naturam, & quoad faciem & figuram externam longiſſimè diſſimiles, quales ſunt Bilis, Urina, Saliva, &c. ſeparantur, neceſſum eſt, ad clariorem diſtinctioremque Phænomeni hujus intellectionem, ut antecedenter explicemus.

Quare Venæ diſtenduntur ante Paroxyſmum.

Sciendum eſt, igitur quod ibi ubi Arteria deſinit, Vena immediatè incipiat; abſque ulla interpoſitione Glan-

dulæ alicujus ſecretoriæ, ſi magnis Anatomicis hoc placere poſſit: cùm verò Sapientiſſima, ideoque provida, Natura, per totum omnium Vaſorum decurſum, fibrillas Ligamentoſas, ad majorem & ſufficientem eorundem firmitudinem, abundè ubique, etiam ad oculum, intertexerit; ſic eſt, ut in ultimâ extremitate, ſive in primo nonesse Arteriæ, hæ prædictæ Fibrillæ, quibus nihil aliud conſuluit natura quàm ut Membranarum aut Ligamentorum officium faciant, quaſi verò obiter (ut decet generoſam Dominam utiliſſima negligentia & libertas) Craticulam quandam decuſſatim contexant, & plexu eleganti efficiant. Succedit autem, quòd virgulæ fibraceæ quæ hanc Craticulam conſtituunt, interſtitia quædam, ſive ſpatiola, inter ſe relinquant, quæ hic Triangula, Quadrangula, Pentagona, Hexagona, illic Polygona, pro varietate ſubſtantiæ ſeparandæ conſtruuntur. Videamus nunc quid hæc Præfatio conferat quo clariùs percipiamus quarè Venæ, in illâ parte cui ſuperventuri ſunt dolores Arthritici, turgeant paulò antequam illi

actu

actu superveniant. Revertamur ergò paulisper ad Lympham nostram, cujus statim post principia Anatomiam fecimus: reperimus verò in eâ copiosum Sal, cujus vestigia legimus usque dum in Massâ Sanguinis utrumque, scilicet Sal & Lympham, relinqueremus. Habemus jam (quod feliciter succedat) Sanguinem Arthriticorum ad Craticulam quolibet pulsu fortiter protrusum: quoniam verò (secundùm Definitionem nostram) Sal in hujusmodi Patientibus præternaturaliter copiâ auctum est (nec locum hic habet Antiquorum Partis debilitas, quæ major forsan est Galenicis in Cerebro quàm Arthriticis in juncturis, cùm hic affectus partes robustissimas hominum robustissimorum occupet) hinc facilè nascitur, quòd forsan duo pali salini aut plures catervatim simul ferantur ad illud Craticulæ spatiolum per quod Natura providit tantùm (cùm partem istam fabricaret) prospexitque soli transitui unius: Sic plures trabes secundo flumine ad arcum pontis simul delatæ, quæ singulæ commodissimè pertransijssent, unitæ totum fluvium obstruunt: sic

Vinum ex Lagenâ, Vulgus ex Ecclesiâ, quam cum otiosâ & negligenti libertate intravit, cum ſtrepitu & difficultate vix erumpit. Imò quando uni ex Virgulis Fibraceis hujus Craticulæ vis infertur, ita ut loco aliquantulùm ſubmoveatur, illa una virgula loco dimota neceſſariò debet etiam ſpatiola vicina (ponamus tranſitui ſanguinis fibroſi dicata) magno forſan incommodo opprimere, & anguſtiora reddere. Quamprimum igitur una vel altera trabes ſalina ad arcuatam aliquam Arterioſi fluminis craticulam ſubſtiterit, illicò illæ aliæ ſanguinis partes fibroſæ quæ, etiam ad oculum Microſcopio non armatum, adeò maximè ab Aqueo-ſalinis ſunt differentes, nequaquam ideò ſubſiſtunt, ſed cum majore difficultate ab humoribus à tergo prementibus protruduntur. Hoc autem modo quando liberior fluxus portionis Lymphaticæ intercipitur, motus partium fibroſarum imminuatur neceſſum eſt, quâ (ſcilicet portione Lymphaticâ) prorſus ſublatâ, motus illarum (ſcilicet partium fibroſarum) totaliter tollitur. Addi poteſt quòd tran-

ſitus

ſitus difficilior per ſpatiola Craticulæ anguſtiora reddita poſſit non improbabiliter facere ut aliquantulùm exactiùs quaſi per expreſſionem ſeparetur pars fibroſa à Lymphaticâ, unde tranſeat limoſius aliquid in Venas & motu ſolito difficilius. Limus non poteſt tam liberè moveri quàm aqua: hæc Fibroſa eſt quaſi pars limoſa Sanguinis (quoad motum) quàm primùm Lympha paululùm ſubtrahitur. Aliquid ſimile indicatur non ſolùm ex motu tardiori, ſed etiam ad tactum; nam ſicut limus magis reſiſtit digito quàm Aqua, ita & hoc Caput Mortuum Sanguinis, lymphâ ſuâ privati, venas diſtentas fere obſtruens, & varicoſum quid quandoque producens, magis reſiſtit digito quàm ſanguis Lymphâ dilutus. Ex prædictis jam ſatis bene poſſumùs intelligere, quare Venæ, in membris Arthritide laboraturis, tumefiant communiter ante Paroxyſmum, quamvis non ſemper neceſſum ſit, ut pars Lymphatica uſque adeò inhibeatur, quin ſufficiens ejus portio parti fibroſæ commiſceatur, quæ liberum ejus Circulationis curſum continuet; ut neq; ſem-

per Venæ ante Paroxyſmi inſultum diſtenduntur.

Quare Teſticuli in Scroto elongantur. Teſticuli in Scroto Viris Podagram paſſuris & patientibus elongantur.

Quòd Anima priùs percipiat quid intra corpus agatur, quàm ulla faciendæ aut factæ mutationis impreſſio in ſenſus externos fiat; aut ſuſpicio ejus illis communicetur, nulla credendi eſt difficultas. Hanc ſenſuum externorum in nobis ſegnitiem fatentur & hebetudinem Obſervationes à variis animalibus Volatilibus, Terreſtribus, Aquaticis, aliiſque magnâ diligentiâ collectæ, utpote ab illis quæ per organa optimè diſpoſita recipiunt quidem impreſſiones illius quod agitur quam primum agitur, nullam vero impreſſionem recipiunt antequam agatur. Id quod nos multo perfectiùs quàm illa faceremus, ſi anima rationalis nihil aliud faceret quàm attendere ad ſenſationes. Sic Halcyones, Corvi, Echini, Porci, Piſces marini, & innumera alia, præmonſtrant mutationes aeris, ventorum, pluviarum, &c. Ita in Podagrâ, quamprimùm pars laborans ab armatis ſalium inimicorum ſpiculis

peti

peti occeperit & assiliri, provida opifera Natura, cum toto spirituum satellitio, concurrit ad subsidium; & quemadmodum prudens alicujus Arcis munitæ Præfectus, cùm senserit hunc vel illum Arcis suæ aggerem ab hostibus violentiùs oppugnari & invadi, statim retractis copiis ex illis partibus ubi minus vel nihil est periculi, relictis tantùm sufficientibus ad custodiam, convocatis omnibus, ad locum debiliorem concurrit; ita etiam Spiritus magnâ parte confluunt ad membrum Arthriticum, restantibus in reliquis partibus (& inter alias Testiculis, qui propter structuram peculiarem faciliùs mutationem monstrant) solis quotquot sufficiunt ad vitam non ad vigorem. Quod dictum adeo evidenter verum est, ut si quis in dolorum suorum exacerbatione interrogetur ubi tunc temporis sit animus, nullum est periculum quod cum Terentio responderit; in Patinis: sine quibus, utpote inseparabilibus Cereris & Bacchi instrumentis, impossibile est ut multùm possit esse in Pudendis.

De Torpore, & impotentia ambulandi anteà dictum est.

De partis inquietudine aut torpore, & ambulandi impotentiâ vel difficultate; jam superiùs diximus; ut etiam de dolore absque causâ externâ, cùm totum morbum causæ internæ constanter imputaremus.

Unde Sensus exquisitissimus producitur.

Sensus solito exquisitior, ita ut lanugo Cygnea parti affectæ imposita ipsam offendat. Vidimus jam anteà cum cuspidibus infixis acus, hastas, vel aciculas salinas multas partibus maximè sensibilibus, imò ipsis sensationis organis, stimulatim continuò imminentes & instantes; superveniente verò humorum extravasatorum fluvio, accidit ut cutis externa, mediantibus hisce humoribus, quamcunque diù ab illis tenetur distensa, virtualiter & effectivè tangat omnia singularum harum acicularum Salinarum capita; rursus mediante cute, omne levissimum impositum pondus easdem extremas aciculas pariter etiam tangit: cùmque in Tympano videamus pulsationem membranæ superioris exactè afficere membranam inferiorem cum suis chordis, quamvis nullum aliud corpus

quàm

quàm Aereum medium inter utramq; intercedat ; pari similiter ratione, sed à fortiori, cutis supertensa partibus illis quibus aciculæ salinæ extravasatæ, tanquam hastæ in aquâ ; stant infixæ, mediante corpore humorali, & comparato ad aerem satis solido , omnes illas acicularum , spiculorum & aculeorum Salis Myriadas , quæ toti illius extensioni substernuntur ; exactè afficit ; adeò ut levissimus digitus impositus, ad instar mallei, pellat in partes subjectas sensiles omnes illos subtilissimos aculeos , qui non possunt exquisitissimum doloris sensum non excitare.

Quare dolor primò excitatur aliquando in Pollice Pedis sinistri.

Dolor communiter in pedum juncturis ac maximè Pollicis (Sennertus dicit plerumque sinistri) à quo facilè fertur ad alios Articulos , & quasi ascendere sentitur ad Genua , vel ad alterum latus. Quare dolor in juncturis , potiùs quàm in aliis partibus, jam diximus.

Quare verò Paroxysmus quandoque primò ordiatur à Pollice sinistro , nihil repugnat, si dicamus quòd, cùm illa pars magis appropinquet ad lineam

per-

perpendicularem, computando à primo exitu Aortæ ex Ventriculo ſiniſtro cordis uſque ad extremum pedem ſiniſtrum, Sal igitur, grave cùm ſit, cadat naturaliter & deſcendat lubentiùs, ideoque in majori copiâ, verſus partem inferiorem quàm ſuperiorem; & cùm ſecundùm lineam perfectè rectam progredi non poſſit, ſaltem ſecundùm illam quæ ad rectam maximè appropinquat (quamvis differentia oculato Anatomico non magna ſit) potiùs quàm alterum ramum Arteriarum Cruralium qui minus rectà excurrit. Addamus inſuper quòd cùm in æquali quantitate in diverſas ramificationes Sal noſtrum Podagricum deferatur, poſſit majorem habere diſpoſitionem ſeſe figendi in ſiniſtro pollice quàm in dextro, propter motum poſſibiliter graviorem in Lineâ rectiori quàm in curviori: hoc certè vel poteſt eſſe vel non eſſe; nam quamvis Ramus Aortæ Deſcendentis, juxta Spinam Dorſalem, in partem ſiniſtram cavitatis Abdominis inclinatur, quamprimùm tamen hic Ramus Os Sacrum attingit, ſemper in duos ramos Iliacos dictos, quorum uterque in 5, vel 6,

alios, Crurales à cruribus quibus destinantur dictos, dividuntur: hæc autem divisio tam prope ad medium fit ut parum faveat huic lineæ rectæ à primo exitu Aortæ ex Ventriculo Cordis usque ad Pollicem sinistrum; & si quando accidat ut magis directè quàm solet decursum suum continuet, æstimandum est hoc pro lusu non consilio Naturæ. Verum quidem est quòd hic affectus aliquando tantùm se primò monstret in pollice sinistro; nec Sennertus unquam affirmavit quod sic succedat semper; quare & Lector Ingenuus nos habebit eo faciliùs excusatos quod (ad testandum obsequium tanto Authori debitum) Symptomati Accidentali explicationem etiam minùs certam pariter accomodaverimus. Cùm Sal Arthriticum Arteriam Cruralem semel ingressum fuerit, quarè in unâ ejus parte extremâ sentiatur, potiùs quàm in omnibus intermediis, ultra quod superiùs de hâc re tradidimus, longâ hic non opus est historiâ; cùm si ventus esset (qui corpusculis constat multò subtilioribus quam est Sal) & pelleretur in aliquod Intestinum Cœcum, pul-

lus

ſus quilibet in cœcâ ipſius extremitate facilè ſentiri debeat, qui per totum decurſum intermedium parùm perciperetur.

Vid. Formicationem. Quomodo aſcendit ad Genua vidimus in explicatione Formicationis.

Quare dolor tranſit ab uno ad alterum latus. Dolor tranſit ab uno ad alterum latus, propter Metaſtaſin Salium per circulationem Sanguinis factam, cùm dolorifica eorum actio hìc ſuppreſſa illic emergat.

Unde Tumor. Calor & color vergens ad rubedinem, interdùm cum, interdum ſine tumore.

Tumor quandoque apparet, interdum nullus, quoniam pauca quantitas Sanguinis, cum parte Lymphaticâ extravaſati, vix ſufficit ad rarefactionem & fermentationem, in quâ requiritur juſta proportio humorum ad eam concurrentium; ut patet ex anteà dictis: Nam magna copia humoris ſalini capax eſt partem diſtendere & comprimere, ſed non elevare in altum, quod ſuccedit in Tumore, qui naturaliter ſequitur ex fermentatione. Ex eâdem

Unde Color vergens ad rubedinem. paucâ quantitate ſanguinis facilè etiam naſcitur ille partis affectæ color vergens

ad

ad rubedinem, livorque, qui indicant quidem aliquam portionem sanguinis, sed non quantum sufficit ad coloris vivacitatem.

Unum ferè restat adhuc de Nephritide quod, si non sit superfluum, adjiciamus.

Edocti satis sumus quod Arthritidis Essentia tota consistat in Sale Essentiali: cùm verò Sal figat omnia (ut Chemicis in Proverbio est) nihilque sit quod firmitatem suam & duritiem Sali non debeat, (illud enim est quod alia Principia, ab Oleo laxiùs colligata, palis quasi cuneatim impactis firma & immobilia retinet) quanta necessitudo inter hanc Arthritidem & Calculosam Nephritidem intercedat, sufficit ut vel unus calculus Nephriticus pro Argumento in conspectum porrigatur. Quodque eadem materia in Renibus possit Nephritidem producere, quæ exinde ad Articulos delata Arthritidem efficiat, & vice versâ, præmemoratum Willisii exemplum in D. D. H. H. abundè arguit, & confirmat.

Unde Calculus Renum.

Unde tanta affinitas inter Calculum & Podagram.

Reliquorum Symptomatum, & differentiarum ipsorum, explicationes ex

jam dictis satis prono alveo sequuntur, absque quòd futiles Tantologiarum ineptias incurramus. Quomodo Podagra conservat à multis morbis videmus, quia sufficiens] quantitas Salis præservat humores à Corruptione, sicut Muria & Acetum &c. vel Saccharum, quod nihil aliud est quàm Sal Essentiale Cannæ, præservat condita. Sed nimis prolixus jam dudum mihimet visus sum, nisi quod de Febre pauca aliqua non inutiliter possint adjungi. Quoad quam, jam vidimus quomodo Salia Essentialia Extravasata in parte affectâ partes Nervosas sensiles pungunt, fodicant, & variis cruciatibus agitant; vidimus Salia Volatilia siue Spiritus cum impetu, & consequenter inordinatè, ad partem confluere; vidimus omnia necessaria ad motum producendum actu ad partem convenisse; imo motum violentum excitatum, nempe calorem notavimus; & quoniam, in Microcosmo æquè benè ac in Macrocosmo, succedit sæpissimè ut, cùm proximus Ucalegon ardeat, vicinæ ædes facilè etiam incendantur, hinc nascitur quòd mo-

Quomodo Podagra præservat à multis morbis.

Vnde Febris Symptomatica in Podagra.

motus in Lymphâ excitatus, nullo negotio communicetur ſanguini, qui talium impreſſionum eſt maximè ſuſceptibilis: exinde Febris, quæ nihil aliud eſt quàm aucta Circulatio Sanguinis. Quomodo inde ſitis, vigiliæ, deliria, &c. nequaquam opus eſt, vel otium, ut eò uſque extra Oleas excurramus. *Definitio Febris.*

Spectemus tamen parumper Almam & Piam Naturam à multis & potentibus inimicis oppugnatam, cum nunc horrore, mox ardore, febre, dolore, non tantùm artuum ſed & capitis & cordis, laſſitudine, vigiliiſque ſtrenuè luctantem & tantùm non ſuccumbentem: illa autem Dea bona, quæ omnia bona omnibus largâ manu utrâque abundè ſuppeditat, non potens, cùm verſetur in extremis & tùnc cum maximè opus ſit, vel minimum adjutorium ab ingratis debitoribus accipere, præ dolore & rabie, facilè ex febre incidit in Deliria. Nunc autem eſt quod Podagræ majeſtas præcipuè ſpectanda veniat; *Habet enim Podagra in ſe aliquid Regium; Sedet dum alii ſtant*, &c. ut Cardan. in Laud. *Deliria.*

Po-

Podag. & invocat ſervos ſuos, ac inter alios, quoniam Medicus dicit ſe eſſe Miniſtrum Naturæ, Natura delirans (quod verè delirantis eſt) pro Podagrâ invocat Medicum: ipſe ſtatim ſumptâ penulâ cum Cheirothecis correpto gradu currit ocyùs ad auxilium, mox ſ. a. concutit omnia Myrothecia, conjurat Manum Dei ex Pyxidibus, exhaurit Fontes Chirurgicos, Pharmaceuticos, & Diæteticos; tandem anceps in re gravi Augur totam Philoſophorum Turbam ad Conſilium convocat. Conſident Sophi, quidque Monſtri aut novæ cladis duplex fortuna apportârit, ſuſpenſis auribus, & hiante ore totus circulus expectat. Surgit ad hos graviter Choregus hoſpes Medicus, & capite dextrorſum ſiniſtrorſumq; inclinato (ſi tantum valeat in Ceremoniis) ac reſumptâ ſede toti Excellentiſſimæ Coronæ hiſtoriam caſus Verbis Ciceronianis explicat; hinc hoſtis morboſi inſidos inſultus queritur, inde gyros ejuſdem doloſos cum remediis doctâ quidem ſed non magis fidâ arte memorat. Illi ſtatim omnes ordine & variâ oratione

Accerſitur Medicus.

tione

tione symbola homogenea conferunt, junctisque manibus comprobant omnia quæ facta sunt inutiliter. Hic de Diagnostico, ille de Prognostico, aliquid paris ponderis quandoque adjungit. Interdum omnes de Causâ Morbi dissentientes Hypotheticè inter se litigant. Sed de Curâ semper, quomodocunque cum lite vel pace res transacta sit, omnes unanimiter tandem multa dicunt & nihil: nam quotcumque ex Æsculapiis advocati fuerint, tota ipsorum Consultatio nunquam ultra hoc ascendit, quòd oporteat observare quid intendit Natura, & quæ movere oportet, quò maximè Natura vergit, per loca eò conferentia, eò ducere oporteat.

Primarium Officium Medici est observare quò Natura vergit & quid indicat.

Videamus igitur (ut his Artis Apollineæ Magistris obsequamur, cùm quilibet in Arte suâ sit credendus) I. quibus modis solvere Arthritidis Paroxysmum unquam Naturæ contingit; & posteà perpendamus quibus modis Natura Arthritidis capax est admittendi ut unquam solvatur.

I. Examinatur quibus modis unquam Natura solvit & terminat Paroxysmos Podagricos.

Dein examinatur quibus modis possibile est naturaliter ut Podagra possit solvi.

Modi autem solutionis Arthritidis (ex Sennerto aliisque) sunt quatuor.

Podagrici dolores per vires Naturæ, absq; ope Artis, quatuor modis terminantur.

Primus Modus.

Primò & frequentiùs resolvitur materia & quidem tota, ut nullum sui relinquat vestigium; vel maxima ex parte, ut sui vestigium aliquod relinquat.

Secundus Modus.

Secundò quod rariùs est, in puri quid simile mutatur materia. Neque enim verum pus est, sed sanies quædam seu ichor resudat, & extra carnem & cutem erodit.

Tertius Modus.

Tertius Modus est, cùm ob loci debilitatem materia diutiùs in parte affecta hærens tandem in Tophum & Nodum mutatur, & de tali Arthritide scribit Galenus x. de comp. med. sec. loc. capit. 2. Postquam producti fuerint calli, ne speraveris ad pristinam constitutionem exactè redire Articulum posse; ut Poeta,

Tollere Nodosam, &c.

Quartus Modus.

Quartus Modus est, cùm humor aliò transfertur; id quod interdum accidit ad Membra Nobiliora, Pulmones, aliquando Cor, Cerebrum, quæ pessima est permutatio, ob quam ægri moriuntùr, nisi Materia ad articulos retrahatur: aliquandò ad ignobiliora, ut varices, sicut Avicennas. Si Podagricis varices superve-

veniant solvitur Podagra, quia humores, ad Articulos fluere consueti, ad exteriores jam cruris partes derivantur. Aliquando evacuantur è corpore, & ut Rhases 11. Continent. scribit: aliquando ad intestina fertur, fluxumque alvi excitat & intestina excoriat, qui fluxus aliquandò ad finem Vitæ durat, & viribus paulatìm deficientibus, propter febres & dolores, ægri marasmo consumpti moriuntur.

Consideremus nunc quomodo ratio Causæ Podagricæ his effectibus correspondet & competit; quidq; in his Paroxysmorum terminandarum modis Natura indicat. Et primò quidem passibus retrogradis.

Examinatur quid Natura indicat in his quatuor Modis.

Quando humor Salinus aliò transfertur (ut in quarto Modo) videlicet ad Intestina quæ excoriat, nemo est qui tam charo pretio velit doloribus Podagricis levari. Quando ad exteriores cruris partes transportatur, inibique efformat Varices difficillimæ curationis, qui nisi adsit Chirurgus multùm celer atque fidelis, & si non citò curentur, in Vlcera maligna ac formidandos Cancros facilè degenerant,

In quarto Modo nihil indicatur quod in beneficium Patienti expeti & intendi possit.

rant, dolor forsan possit esse impræsentiarum aliquantò minor, sed & periculum majus. Si ad Membra Nobiliora scilicet Pulmones, Cor, Cerebrumve pessimè permutetur, unde Mors intempestiva supervenit, hæ omnes sunt solutiones Morbi Articularis à nemine quæsitæ, à quibus & nos animum totaliter alienum habemus.

In tertio modo in beneficium Patientis, nihil.

Quoad tertium modum solutionis per Tophum & Nodum, hæc (cum bonâ veniâ Sennerti) non est Solutio, sed signum tantùm materiæ post morbi solutionem relictæ, quâ de re non partis affectæ debilitas, sed materiæ heterogeneæ morbificæ superabundantia & crassities venit justiùs accusanda. Quod ut clariùs pateat, quid quomodò agatur hic quærendum venit.

Quomodo generantur Tophi, & Nodi Podagrici.

Diximus suprà Sanguinem, Lymphâ salsâ dilutum, ex extremitatibus Arteriarum ad partes sensiles circa articulos, pro ipsarum nutritione, distributarum, cribrari (lege circulationis) & filtrari per easdem partes membranaceas in prima oscula Venarum, Vasorum Lymphaticorum, &c. quæ liquorem sub formâ sanguinis Arteriosi

par-

partibus advectum diverſis canaliculis ſive Lymphaticis ſive Venoſis excipiunt, exceptumque verſus Cor, quaſi domum, reconducunt. Ità verò à ſapientiſſimâ Naturâ comparatum eſt ut fideles Speculatores & Satellites (Dolæus vocat in Viſceribus principalioribus Animæ Vice-Reges) in omnibus partibus conſtituantur, qui continuò excubias agant & paci ſalutique earum invigilent. Quamdiu igitur nihil Heterogeneum (illi vocant inimicum) ad articulos à ſecundo flumine Arterioſo defertur, omnia imperturbatâ fruuntur pace; quamprimum autem aliquid inaſſuetum, vel materiâ vel formâ à conſtitutione partis diſſentaneum, appellit, ſtatim ſiſtitur, ut videre eſt in filtro communi, per quod omnia quæ partes habent poris filtri conformes liberè tranſmittuntur, quæ verò diverſas, in illo remanent. Jam quando ſupervenit Paroxyſmus Arthritidis, vidimus dolores illos non aliundè oriri quàm à ſpiculis ſalinis, membranaceo partis affectæ filtro, per quod conantur tranſire, minùs juſtè proportionatis: quotieſcumque verò

hæc Salia, nonnisi à certis terrestreitatibus admixtis facta crassiuscula, substiterint, quamvis post comminuta longo decursu Paroxysmi, & obtusa cum tempore reddita, ipsorum puncta, dolor pungitivus ab istis identicis numericis Salibus excitatus cesset, semper tamen restat aliqua terrestreitas in filtro: & ad hanc terrestreitatem cum recurrente Paroxysmi Periodo, semper aliquid cumulatim accedit. Hæc collectio materiæ terreæ primis quidem diebus & annis nequaquam vel parum percipitur; nam præterfluens Lymphatico-sanguineus latex (tanquam Aqua per cineres, dum fit lixivium) partem Salinam, quæ maxima est, continuò diluit & parvulo cumulo detrahens secum avehit: quod remanet (sicut Album Græcum, Vitriolum &c. à radiis Solaribus calcinantur in albedinem) à vehementi & sæpiùs repetito calore partis affectæ, qui (extra corpus) secundum gradum ignis Chemici facilè adæquat, in materiam calcinosam longo tempore naturaliter & necessariò comburitur. In hoc tertio modo solutionis,

cùm

cùm pro solutione admitteretur, nihil est quod aut Patiens optare aut Medicus sensatus intendere poterit.

Quoad secundum modum, qui raró accidit, scilicet quando materia in quid simile puri mutatur.

In secundo Modo reperitur prima Indicatio.

Neque enim verum pus est, sed sanies quædam seu ichor resudat & extra carnem & cutem erodit; ut rectè dicit Sennertus.

Natura projicit liquorē Salinum ita corrosivum ut cutem & carnem exteriùs erodat, & subitò cessat dolor.

Si veritas claudicare posset & fulcimentis illi opus esset, haberet hic quod in tanti Medici Authoritate sibi congratularetur (sed jam supra demonstravimus quòd ex solo Sale vitiosè-abundanti produci possibiliter queant dolores Arthritici): Habemus enim hic certissimum Argumentum veræ Causæ Arthritidis; si credendum sit illud infallibile, quòd *sublata causa tollatur effectus*; cùm experientiâ probemus quòd quamprimum exudat sanies seu Ichor salinus, qui extrà carnem & cutem corrodit, dolores cessent.

Certum Argumentum Veritatis causæ Podagræ ab Authore assignatæ, ut etiam Curationis quā posteà assignat.

Quarè collectiones materiæ Arthriticæ fermentari, id est, in pus converti non possint, rationibus & exem-

plis à Cucumeribus, Carne salitâ &c. desumptis superiùs satis monstratum est.

Natura indicat & Patientes maximè desiderant ut hic humor salinus ejiciatur foras.

Hic primùm occurrit indicatio Medico Rationali & Cordato accommodata. Hanc exudationem impatienter exoptat æger, cui solet obvenire: oh quanta consolatio ægroto affulget! cum quantâ domus tota exultat lætitiâ, quo tempore prima salutaris gutta in superficie eruperit! De hac materiæ hostilis eductione promovendâ Medicus unicè consulitur; hanc, cùm unica salutis via sit, solam ut urgeat anxiè ab amicis omnibus & importuniùs stimulatur. Invenimus igitur (quod felix faustumque sit) modum solutionis certum & maximè exoptabilem; si primus ille ex quatuor præmemoratis quid felicius fortè habeat quod proponat: Ille autem se habet sic.

In Primo Modo.

Frequentius resolvitur materia & quidem tota, ut nullum sui relinquat vestigium; vel maxima ex parte ut sui vestigium aliquod relinquat.

Hic Modus cōprehendit sub se duos modos secundum & tertium gradu Eminentiori.

Modus hic comprehendit duos modos ultimò præcedentes scilicet secundum & tertium, gradu tamen excel-

len-

lentiori. Cùm enim materia maximâ ex parte resolvitur, ut sui vestigium aliquod post se relinquat, hoc vestigium nihil aliud potest esse quàm materia calcinosa in pauciori tamen quantitate, quæ à transcolatione Lymphæ salsæ per laborantem partem transvectæ in eâ superstitit. Quoniam verò nihil in tertio solutionis modo omninò optabile repertum est, ideòque & in hâc hujus primi parte, quæ gradu tantùm ab illo differt, aliquid parùm optabile deprehendimus.

In illa parte ejus quæ refertur ad modum tertium, nihil desiderabile reperitur, quod intendi possit.

Quantum ad primam partem, secundùm quam *resolvitur materia & quidem tota, ut nullum prorsus sui vestigium post se relinquat*; hic modus, ut secundo illi, alias felicissimo (in quo materia morbifica sub formâ liquoris salini foras projicitur) longè superior, ægroto unicè optandus, & Medico unicè proponendus, venit. Hi autem duo modi solùm, ut insensibilis transpiratio Violenta & sudor, inter se differunt; vel sicut distillatio materiæ levioris, prout instituitur vel cum igne lento vel cum igne vehementiori, diversa est; vel sicut materia gravior & fixior distil-

Prima pars primi Modi & secundus Modus differunt inter se sicut Insensibilis Transpiratio Violenta, & Sudor, &c.

diſtillata prodit ſub aliâ formâ quàm materia levis & volatilior. Quemadmodum enim aliqua materia diſtillata per Retortam, ſuppoſito igne modico, guttatim in Collo Retortæ apparet, & eâ formâ ab illo decidit; quod ſi violentiùs urgeatur ignis, totus liquor foras pellitur in vaporibus, nec ulla humiditas in Collo Retortæ conſpicitur; (& hoc modo in Febribus Intermittentibus, dum violentia ardoris, in Paroxyſmi incremento, grauiùs intenditur, nullus omninò ſudor apearet; ſub declinationem verò Paroxyſmi, quando calor febrilis aliquantulùm remittitur, vapor nimia agitatione rarefactus reſolvitur in humiditatem; quidquid enim Vulgò æſtimatur de majori copiâ humiditatis, ex corpore, per ſudorem quàm per inſenſibilem Tranſpirationem, durante febris Paroxyſmo, propulſæ, certiores tamen facti ſumus ab experientiâ, cum vires multò magis diſſipentur in incremento febris quàm in declinatione, & cùm intenſior calor capax ſit plus humiditatis extra corpus pellere quàm remiſſior, quòd plus evacuetur per inſenſibilem tranſpirationem

Conſulatur Lemery, &c. Part. 1. Cap. 1. de Auro Fulminante.

Plus humiditatis per Inſēſibilem Tranſpirationem Febrilem, quàm per ſudorem diſſipatur.

nem febrilem quàm per ſudorem) rurſus liquor ſalinus, qui graviora ſalia continet, difficulter in Vapores rarefit, & facilè, quando fuit rarefactus, iterum in guttas concidit; cùm Spiritus ſive liquor ſalia leviora Volatilia dicta continens minimo negotio in aerem avolet, ita ut nullum ſui ſignum conſpiciendum remaneat: Sic in ſolutione doloris Arthritici, ſubi Salia Eſſentialia ſatis ſunt levia quæ à violento calore partis poſſint rarefieri & ſublimari, illa cum rapiditate avolantia nullum ſui veſtigium poſt ſe relinquunt; quandò verò Salia ſunt graviora quàm quæ poſſint in altum evehi, habemus certè quòd gratulemur nobis ſi totus ignis vel caloris naturalis vis ſufficiat illis à Centro ad circumferentiam, vel ſub guttarum formâ, vel quâcunque aliâ, transferendis.

Quod ſi quis, in Podagrâ, Salia morbifica leviora per inſenſibilem tranſpirationem & Salia graviora per ſudorem, uno eodemque tempore, citò, tutò, & jucundè; poſſe expellere certò aſſecutus fuerit; ille Albæ Gallinæ filius, Diis hominibuſque plaudentibus

Qui in Podagra Salia leviora per inſenſibilē tranſpirationem & Salia graviora per ſudorē expellere poteſt verum ſecretū curandi eam habet.

bus, Lymphaticum Ægeum transmisisse, Arthritici Augiæ stabulum purgâsse, Isthmum Articulorum perfodisse, clavamque salinam Herculi Podagrico extorsisse jure proclamari debet. Durum, difficile & pulchrum hoc certè est, & num sit factu possibile dignissimum est quod exactiùs examinatum funditùs perscrutando investigetur.

Oportet examinare num hoc sit possibile.

Audivimus superiùs quid consilii de Naturâ observandâ dederint vocati ad auxilium Medici: Vidimus quid Natura semper faciat, & consequenter quid semper faciendum indicet. Inquiramus nunc ulteriùs non solum quid actu factum est, sed etiam quid possibile est in subiecto similiter constituto quod fieri possit.

l non potest destrui.

Sal ex omnibus substantiis sublunaribus unum immutabile & nullo modo unquam destruendum vel etiam minuendum est; in igne acuitur, in aquâ est tanquàm in Elemento suo, ab oleo delinitum demulcetur, in omni judicio constans est, & omnigenis examinum cruciatibus resistit; ideoque Philosophi ipsorum Alchaest, quod nihil aliud quàm Sal fluidum est, immortale

le nuncupârunt. Papæ! quam pulchrâ ſpes hinc affulget miſeris Podagricis, quibus dolorum cauſa & ſcaturigo tota eſt Salina! Audivimus (inquiunt) animam quidem eſſe immortalem, & veriſimile credidimus; ſed in corpore caduco hic Novitatum inventor unam partem nobis ad immortalitatem ſuſcitat, illamque ut cruciet! Apage Nefas Medicum, vel potius Vulturem Prometheum, qui viſcera doloribus fermè exeſa nobis ad novas pœnas recreſcere conſuluit. Pacatiùs Domini! eſt adhuc unde bono animo ſitis. En haſtam Telephiam! quæ vulnus intulit, & opem preſtò latura eſt. Diximus quidem Sal eſſe immortale; non diximus eſſe immobile & non aliò transportabile. Dividendum eſt hìc ut imperemus;& proſpiciendum eſt quo modo valeamus tantum ab his unitis viribus ſalinis quantum quantitate & copiâ magis quàm qualitate peccant, quocumque modo ſeparare. Hoc cœptum ſi compleamus, hanc ſummitatem ſi aſſequamur, res adhuc eſt in ſalvo; quibus autem viis & modis hoc perficiendum eſt, & quidem facillime, jam

Si poſſit diſſipari, ſufficit.

Cauſa Podagræ conſiſtit in Salis quantitate aucta non qualitate mutata.

jam ſtatim tradituri ſumus.

Præparantia Antiquorum inutilia, &c.

Cùm in omni curâ ritè inſtitutâ ſemper Præparantia debeant præcedere Topicis, Generalia Specificis; Nos (quo magis Antiquis, quà licet in Praxi noſtrâ obſequamur) ad exonerandum Ventriculum noſtrum, qui hic rectiùs Stomachus vocari poteſt, Purgationes, Venæ ſectiones, Enemata, Cucurbitulas, & mille id genus alia futilia, quæ Podagricis ab antiquiſſimo Hippocrate per omnia ſæcula ſæculorum hucuſque frustrà nauſeam moverunt, in ipſo curationis limine (cum veniâ) evomimus. Neque quidem aliquod Præparativum abſolutè neceſſarium eſt, niſi in conſtitutione maximè Plethoricâ, parcâ manu & rariſſimè forſan poſſit detrahi ſanguis; & ſi indicium fuerit quòd primæ Viæ maximè ſaburratæ fuerint, Medicamentum aliquod lenitivum, quod debuerat Venæ ſectionem anteceſſiſſe, aliquando propinari poſſit; aliàs immediatè ad Topicum tutò poteſt &

Subitò debet applicari Specificum.

debet ſubitò venire Medicus: illud autem tenetur, ſi legitimum ſit, omnes has ſequentes conditiones implere.

re. I. ut directâ viâ tendat ad partem affectam, nec in ullo aliquo alio loco, per viam, hæreat; inde enim Topici nomen accepit. II. ut se intimè & effectiuè humori peccanti jungat, nec ullam dispositionem habeat sese alteri cuicumque (humori) admiscendi. III. ut quando sese humori peccanti junxerit, non tantùm bonam voluntatem (si liceat sic dicere) habeat & intentionem rapiendi hunc (scilicet humorem) sublimem quasi, & extra corpus efferendi, sed ut potentiam effectivam & vires sufficientes habeat quibus illum validè prehendat, & actu, & sensibiliter, & infallibiliter, ipsum extra partem (quæ consequenter in ipso illo instanti à dolori liberari debet) coram adstantium oculis, projiciat. (Illi filii Artis qui sic Podagram tractare nôrunt, cum ipsâ in Arenam descendere, ipsam sedente Columbâ mansuetiorem, & mactatâ hostiâ leniorem, reddere possint: hos potentes Dominos adulatrix (aliàs maligna) Bestiola veneratur; horum nutui communiter intra mediam horam, sed semper intra tres quartas

Tres Conditiones Medicamenti Specifici.

à τόπος locus.

Soli illi qui hoc modo medentur Podagræ possunt illius curam suscipere.

ad

Semper intra tres quartas unius horæ tollitur infallibiliter Paroxysmus.

ad summum, obtemperat: alios omnes Medicantes, de quibus per tot sæcula perpetuò triumphavit, & in hunc usque diem insolens & intractabilis temnit etiamnum & subsannat.

Probatur dari posse tale Medicamentum Specificū contra Podagram.

Tale autem Medicamentum quod omnibus supramemoratis indicationibus plenè respondeat & satisfaciat, parabile esse, sequentibus (inter multa alia quæ breves Tractatûs limites non admittunt) Argumentis demonstrabimus.

Probatur prima Conditio.

Pro prima Conditione scilicet quòd rectâ viâ tendat ad partem affectam. Quamvis hæc prima facie videatur discursum quendam & judicium electivum aliquod Medicamento attribuere, tamen cùm videamus Bruta animalia solâ vi structuræ & dispositionis partium ipsa componentium multos actus stupendos perficere, quorum plerosque Philosophorum Vulgus Animæ Sensitivæ assignat: cùm videamus ignem exiccare, aquam madefacere, saxum descendere &c. dabitur etiam licentia mixturæ taliter fabricandæ (cùm Ars taliter Naturam aliquando imitetur ut tantùm non illam superet)

peret) quæ quamvis à variis partibus per viam possit & necessariò debeat excipi, in nullâ tamen aliâ quàm in illâ cui destinatur, possit vel quiescere vel actionem suam exercere. Neque enim absurdum est dari Medicamenta electivè operantia, vel quæ certum & determinatum aliquem humorem evacuant. Probatur primò ex effectu, ubi per Experientiam constat Ictericis conducere Cholagoga, Hydropicis Phlegmagoga & Hydragoga. II. ex particularibus solventibus sive menstruis, ubi quidvis non solvit quodvis: Ex. gr. Acetum solvit Plumbum, at Mercurium non potest dirumpere; Aqua fortis dissolvit Mercurium, sed Aurum non valet penetrare; Aqua Regia dissolvit Aurum, quæ tamen in Argentum nullam impressionem capax est facere &c. III. ex particularibus præcipitantibus, ubi soluta per Acidum ab Alcalibus præcipitantur &c.. Adeò ut possibile esse dari specifica Medicamenta cùm jam viderimus, num detur tale quid contra Podagram in Secundâ Conditione examinandâ jam statim videbimus. Illa autem sic requirit & postulat: scilicet

Probatur dari Medicamenta electivè operantia.

Probatur Secunda Conditio.

licet ut intimè & effectivè humori peccanti se jungat, nec ullam dispositionem sese alteri cuicumque humori commiscendi habeat. Jam suprà monstratum fuit quòd Causa Podagræ in nullâ aliâ re consistat aut consistere possit, quàm in Sale; illoque in Lymphaticâ parte sanguinis naturaliter & necessariò dissoluto; qualecumque igitur Medicamentum eâ lege & partium ordinatione dispositum & comparatum est ut soli parti Lymphaticæ sanguinis se commisceat; quòd omnibus requisitis in Secunda Conditione plenè satisfaciat statim recipi & agnosci jure debet. Et quidem sufficit quòd aliquam dispositionem dissolvendi se in Lymphatico liquore habeat: nam eò ipso quòd monstret facilitatem dissolvendi se in Aquâ, monstrat consequenter indispositionem & difficultatem dissolvendi se in Oleo & Spiritu, utpotè aquæ contrariis; sicut exemplo potest esse Sal Tartari; quod in Aquâ totum dissolvitur, in Spiritu Vini perfectè dephlegmato nihil prorsus decedit de pondere. Hujus autem Medicamenti basis, fundamentum, & vehiculum taliter (etiam ad

oculum) constructum est ut facile & totaliter Aquæ sive Lymphæ humanæ se commisceat; & quod peculiarius est, omnem liquorum Aqueum subitò in Lac, quoad albedinem & dulcedinem, tam extra quàm intra, tamque intra quàm extra corpus (quod Lector etiam candidissimus capere non potest, nisi aliquem habeat qui præmonstret) visibiliter convertit.

Basis hujus Medicamenti omnem liquorem Aqueum tam intra quà extra Corpus subitò in Lac convertit.

Jam non incongruè huc concedit Observatio de curâ Lactis in Podagrâ, pro quâ quasi omnium felicissimâ tot locupletes Historiarum Medicarum Scriptores, tot Practici celebres, & præcipuè Johannes Georgius Greisel, multis rationibus & experientiis allatis mordicùs dimicârunt. Diæta certè lactea diù continuata poterit, per partes ejus serosas, Salia Podagrica aliquantulùm dissolvere, & foras per secessum & Urinam secum educere; per partes butyraceas sive Oleosas poterit, ad tempus, Salium puncta, ne incommodo sint, implicare & impedire: & forsan præcipua Lactis Cura in hoc consistit quòd ad Salium Morbosorum incrementum minùs contribuat, aliqua ipso-

De Cura Lactea in Podagra.

rum diluat, alia demulceat: ſed quòd Lac illa Salia certò & ſubitò ſublimia rapiat, eademque potenter & efficaciter foras extra corpus depoſita eliminet, nemo huc uſq; unquam auditu accepit. Sic tractare Antæum Arthriticum ſolus valet Hercules ſpecificè Antipodagricus; qui num talia præſtare valeat in Tertiæ Conditionis explicatione videbimus. Illa autem à Medicamento hæc omnia ſeveritate inexorabili exigit: nempè ut cauſam morbi actu & ſubitò foras extra partem non eliciat ſed vehat; nec hoc ſolùm, ſed etiam ut eam coram duobus Judicibus, ſcilicet viſu & guſtu, examinandam ſiſtat; & pro teſtimonio ac fiduciâ quòd Cauſa vera, non larvata & veram mentita, oculis ac linguæ judicum imponat, requiritur ulteriùs ut illo ipſo temporis momento, quo cauſa prodierit foras, effectus, qui ſemper continetur in Cauſâ vel eminenter vel potentialiter, nullum indicium aut ſuſpicionem faciat quod illa (ſcilicet Cauſa) adhuc intùs remanſerit; ideſt, ut ipſo facto ceſſet dolor. Et ſic certè & indubitatò & ſemper ſuccedit. Sicut enim in dolore den-

Probatur Tertia Conditio ab Experientia.

dentium accidere videmus quòd quamprimùm Salia morbifica tantam activitatem fuerint acquisita ut poros gingivarum partiumque vicinarum ità dilatent (unde partes majus spatium consequenter occupant & tumor elevatur) ut liberè per eos apertos factos foras avolare valeant, dolor omninò cessat, & Patiens à Paroxysmo liber pro tunc ab omnibus agnoscitur; Ità, cumque simili consilio, Hercules Antipodagricus intra corpus assumptus continuò se Salibus dolorificis adjungit, ea ad motum stimulat, dat illis alas humerosque, quibus ipsa innitentia & vecta à parte vexatâ versus cutem externam sublimantur; illùc delata illam concutiunt & dilatant (unde tumor ut in declinatione doloris dentium) viamque sibi foras facientia, cum perfectâ partis quiete, in superficie cutis sub formâ sudoris, ad gustum & in omni judicio sale refertissimi, sese & Patienti & adstantibus palam examinanda coràm exponunt.

Explicatur Solutio Paroxysmi Odontalgiea.

Quomodo operatur Hercules Antipodagricus.

Nec contra Nos quidquam facit, sed verè à fortiori certitudinem facti confirmat, quòd prædictum Pharma-

Diluitur Objectio, & ulterius explicatur Operatio Medicamenti, per

Similitudinem sumptam à derivatione fluvii.

cum totum corpus, & forsan æquè benè, faciat sudare ac partem illam dolentem, ad quam principaliter dirigitur: cùm enim abundè ex suprà traditis constet radicem & fomitem dolorum Podagricorum in solo sale contineri, Sal verò in Lymphâ, quæ semper sanguinem inseparabiliter per totum corpus comitatur, tanquàm in proprio elemento vehatur; evacuatio hujus Salis cum hâc Lympha comparatione justissimâ potest assimilari derivationi alterius cujuscunque fluvii vel decursûs Aquæ. Quamvis enim in parte decliviori & Ostio hujus Tiberis, si occludatur, maxima vis & pressio Aquarum affluentium sentiatur, & illæ ibi loci viam sibi facere, plusquàm in aliquâ aliâ parte, conari videantur; tamen si ad latera secetur unus vel alter canaliculus (quo plures eò melius) per quem Aqua possit æquè liberè effluere ac per Ostium, illa collectio aquarum ad obstructum exitum fluminis turgentium pariter decrescet ac si ipse exitus à repagulis impedientibus protinùs esset liberatus. Et hoc in Corpore humano tàm exactè succedere ac in

Tibere necessariò est successurum, certò liquet ex venæ sectione institutâ in brachio; pro pedis vel alterius alicujus partis distantis inflammatione. Quamvis enim latex sanguineus actu tantùm ex brachio secto effluit, Pes tamen, & Caput, & Cor eodem tempore sensibilitèr evacuantur.

Argumentum quod derivatio succedat intra corpus æquè benè ac extrà, sumptū à Vena sectione.

Restat nunc explicanda indicatio curæ Tophorum & Nodorum Podagricorum, de quibus cùm consulantur Medici, continuò fugiunt ad Asyla Galenicum & Poeticum, ex quibus ampla Privilegia perpetuò ignorandi securi & contentissimi desumunt. *Postquam producti fuerint Calli, ne speraveris ad p istinam constitutionem exactè redire articulum posse*, dicit Galen. supracit. quod Rhythmicè sic sonat.

Explicatio Curæ Nodorum & Tophorum Podagricorum.

Tollere nodosam nescit Medicina Podagram.

Cum bonâ Apollinum Medicorum veniâ dixerim quòd nulla authoritas hinc colligatur, quòd Cura eorum vel sit naturaliter impossibilis, vel non quærenda Posteris, vel inventa non æstimanda prout merebitur; sed simpliciter hic dicitur quòd nec Galenus vel

Poeta eos curare noverit: & tamen eos curabiles esse nos, nec cum tam inutili voluminosâ pompâ quàm Galenus, nec cum tàm benè concerptis facetioris ingenii flosculis quàm Poeta, sed simplici ratione experimentali, breviter monstrare sperabimus.

Medicamentū ad Nodos Duas Conditiones requirit.

Primò igitur, ut solvatur & dissipetur materia calcinosa in Nodis Podagricis collecta, requiritur Medicamentum quod potens sit ad materiam loco movendam penetrando pervenire: & quidem talia Medicamenta in Naturâ actu dari Exemplis, inter innumera alia, possint esse Aquæ fumigantes variæ variorum Authorum; liquores penetrantes corpora solida marmorea; Atramenta Sympathetica dicta, quibuscum cùm scribatur aliquid in primo folio libri densissimi, signantur iidem Characteres in ultimâ ejusdem paginâ, penetratâ subito totâ foliorum intermediorum substantiâ; cum multis id genus aliis. II. requiritur, ut rectâ viâ tendat ad materiam solvendam, eique sese intimè uniat, illam ad motum stimulet, absque injuriâ partibus circumvicinis sensibilibus inferendâ, & qui-

Explicatur Prima Conditio.

Explicatur 2. Conditio.

quidem specificè (ut augeatur, non digerenda Medicis, difficultas) si diximus, tale quid esse possibile ex discursu superiùs habito de Medicamentis specificis abundè satis evincitur.

Sed ne relinquam Lectorem Pium industrium & bene meritum, crudeli anxietate perplexum, & de tantâ Vitæ Humanæ Thesauro assequendâ protinùs desperantem, nunc statim cum Filiis Artis, quibus omnia ubique utrinque cedentibus valvis patent (authoritate Paracelsi, Helmontii, Majeri, Riverii, aliorumque, idest, exemplo eorum, munitus) breviter & apertè sum locuturus.

℞. Tres Hercules ex triplici Regno alis Aquilinis advectos; hos deducito ad Vulcanum Æthereum sed Vegetabilem, qui eos per 9. menses continuos nectare suo saturet, usque dum injecto reti hamato arctè constricti, & intimè uniti, fuerint; & tunc quidem si in Aquam injiciantur sub eâ eos se demergere, & per eam facilè diffluere observabis, absque quod ulla oleosi retis ipsi supernatent Vestigia. Aqua in quam submersi sunt

Descriptio Herculis Antipodagrici.

ſubitò deveniet alba ; & ſic habes vehiculum, Medicamento Regio vehendo aptum, omni curru Aureo pretioſius. Huic Vehiculo admiſce Medicamenta Humorali Morbo, quem curare optas, appropriata, Ex. gr. in Podagrâ Extract. vel Eſſent. Trifol. Fibrin. &c. in Febre, Febrifuga; in Morbo Gallico, Anti-Venerea &c. nec dubita de ſucceſſu; nam ſi conveniens remedium Vehiculo huic adjungatur, illud nunquam deerit idem ad terminum benè indicatum certè & effectivè perducere.

Deſcriptio Medicamenti externi.

Quoad Medicamentum externum ℞. Oleum Vegetabile, ex. gr. Oleum Lini (Oleum Olivarum nihil valet) hoc exicca ab omni humiditate aqueâ cum Sale Tartari &c. quo Artificio in paucis diebus acquiret virtutem magis Balſamicam quàm ſi centenos annos repoſitum manſiſſet in cadis. Ex hoc Oleo & Calce vivâ formatis globulis, Oleum Philoſophicum novis vicibus diſtilletur: hoc in fimo Equino per quindecim dies & noctes digeratur. Hæc eſt prima Statio Operationis. Huic Oleo Philoſophico adde Oleorum Lumbricorum, Euphorbii, Pyrethri, Succini

cini

cini cum ſuo Sale Volatili, Caſtorei, Axungiæ Humanæ, Nitri, Salis Ammoniaci &c. q. ſ. dein circula per menſem, & diſtilla. Hæc eſt ſecunda Statio. Habes jam Vehiculum, cujus duæ vel tres guttæ in Volam manûs inſtillatæ ſubitò diſparent & in ſubſtantiam carnis penetrant: huic ſi ritè noveris Nervina, & alia ſpecifica requiſita, ſanctè maritare, magnum Arcanum pro Nodis Podagricis diſſolvendis, & juncturarum, quamvis ſanarum, majore fortificatione te poſſidere jure æſtimabis. Et magnum certè eſt; ſed Hercules Antipodagricus ſive Medicamentum ad Curam internam eſt primum & perfectiſſimum quid (infra Tincturam Uniuerſalem) quod humano ingenio aſſequi naturaliter ſperare poſſumus. Hoc enim Morbum Chronicum, utpotè 40. dierum & ultrà in Acutiſſimum, ad libitum, convertit. Ulteriùs, in Morbo Acuto, Criſin Ægroto propitiam, quandocunque vult, non expectat, ſed efficit.

Vltimus gradus ad quem Medicina Naturalis poteſt aſcendere eſt conuertere Morbum Chronicum in Acutum & in Acuto facere (nō expectare) Criſin ægroto propitiam, quandocumqme volumus.

Hujus Veritatis experientiam Philoſophus non infimi Subſelli in Germa-

maniâ cùm in Subjectis tam Podagricis quam Quartanariis præter suam spem videret, extaticè statim exclamavit: Convocentur jam ex quatuor Cœli Cardinibus quicumque manibus purissimis Æsculapio & Apollini à Mundo condito ad hoc usque Sæculum unquam sacrificârunt! misceantur profundis ima, & consulantur remotissima creatæ imaginationis scrutinia, si hic Hercules Columnas suas Medicinales, & Ne Plus Ultrà Artis Machaoniæ, nec ne, posuerit! Quicquid hos terminos transilierit, portentosum quid, & inter miracula scribendum, veniet. Cùmque Ego ipsum immodestiæ, vel saltem nimiæ amicitiæ arguerem, loco responsi sic continuando, excessûs sui rationem mihi significavit: Nam si Naturæ leges observari debeant, & transitus ab uno Extremo ad aliud successivè & non in instanti faciendus sit, minus temporis spatium quàm una media horula non potest tantæ mutationi impendi.

Verissimum est quod Paroxysmus statuto suo tempore non minùs redeat

deat quàm fecit priùs, sed ficut facilè primâ vice transivit, verisimile est quòd secundâ faciliùs, & tertiâ adhuc faciliùs transitura sit, & sic semper decrescendo, donec Causa tandem prorsus evacuata per frequentem transpirationem, & perfectè foras projecta, ampliùs non omninò redeat. Huic Praxi si Diæta rectè instituta, & justum vivendi regimen, manus auxiliatrices porrexerit, sciat pro certo Lector Christianus, non Apella infidelis, quòd ultra hoc in Medicinâ quidpiam (si aliis peritioribus quàm sim Ego fides haberi possit) nec Natura facilè dare, nec Homo cum rectâ ratione optare poterit.

Nec locum hic habet futilis illa communissima sæpè mihi facta Objectio, quod hic vel ille delicatulus non tutò sudare poterit, cùm periculum sit, ne minimus calor excitatus, pejorem morbo, febrem superinducat; Sciendum enim est, quòd quamvis Sudor communis, in quo serum simplicius prolicitur; & partes salinæ intrà corpus residuæ magis exiccantur, hujus calefactionis vitandæ *Objectio.* *Responsum.*

ali-

aliquam meritò poſſit ſuſpicionem facere; quando verò ſudoriferum eâ conditione, & cum omnibus ad eam requiſitis, præparatur ut Sal Morbificum ſummoveat loco, & ſecum correptum projiciat foras, quale eſſe Noſtrum & Effectus, & Modus præparandi, & Corporis quietioris libertas acquiſita poſt ſudorem indicant, tantum abeſt à calefactione, ut tale Medicamentum maximè refrigeret.

Nec hinc, ſibi imponens quiſpiam, lecto hoc diſcurſu, Paroxyſmum Podagricam per ſudorifera ſe ſublaturum confidat, ſed potiùs eam intenſiorem ſe redditurum dubitet. Nam eundem Morbum quem Medicamentum Diaphoreticum ritè præparatum ſubitò tollit, ſudorifera ordinaria potiùs reduplicant; ut in febre Elode, de quâ pauci ſcribunt, & in Madore febrili communi, &c. videre eſt: de cujus rei causâ conſulantur Practici & Scriptores de Diaphoreticis, quorum non pauci extant.

Habes nunc, Amice Lector, mea raptim deſcripta de Arthritide, illo Medicorum nodo Gordiano, deliria: Si quid

ceſpitârim, dum feſtinanter volutârim hoc meum Dolium in Cranio; ſcias me (quamvis ſpatio quindecim annorum tranſactorum in continuis peregrinationibus per meliorem Europæ partem ferè tertiò peragratam; in Academiis, Caſtris, Noſocomiis, Bello & Pace, varia in Praxi Medicâ viderim & expertus fuerim) in opinionem meam tamen non ita seriò jurâſſe quin exoptatiſſimo Eireneo Philalethæ rectiùs ſentienti, quem rogo per charitatem ut me meliùs inſtruat, lubens auſcultaverim. Is enim Ego non ſum qui ipſam Veritatem in rebus Phyſicis credam me, per hujuſmodi vulgarem Philoſophiam, unquam aſſecuturum: attingere ad maximè veriſimile, & minùs errare, eſt ſumma perfectio, quam prophanus Philoſophus ſperare poteſt in Medicinâ. Hoc ſolum pro potenti Juſtitiâ, oculatum teſtem fortiter cogente, excuſatum me habeas ſi affirmen; viz: quod pauciſſimi morbi opportunè curati ſint per ſe incurabiles; & inter alios Podagra, quamvis omnium longiſſimum tempus ad ipſius curam requirat, tamen omnium certiſſi-

mè curari possit. Restat solùm ut ægroti officium suum faciant, nec per intemperantiam destruant longævam Sanitatis Pyramidem, quam provida Medicinæ industria iis erexit. Quòd si quis (post lecta hæc) Sensum Rationi, Cererem & Bacchum Sanitati suæ, amens anteposuerit; sciat ille hoc ipsi in fronte totidem verbis, sapienti clarè legibilibus, inscribi.

Ego sum

cui unus primarius Deus est Venter; huic meo Moloch Ego corpus meum, variis cruciatibus contortum, quia nil charius habeo, quotidiè immolo; intereà dum mihi superveniat expectatum tempus, quo & Animam (quam proxumè ago) ultumò sacruficem. Ego magnus Helluonum Curtius in profundam Ingluviei voraginem fortiter me conjicio; confisus, qui more Nobilium vivo & morior, me more Nobilium etiam in altero sæculo fore recipiendum. Sic erit. In quo quis maximè sibi complacuit in præsenti, æternùm exercebitur in futuro; in quo Potentes potentèr tormenta patiuntur: qui hìc per electionem, illìc per necessitatem.

tatem. Vecordi igitùr & insensato huic Purgopolinici Αʼυτοχτόνῳ qui fidelitèr à Nobis præmonitus, tamen de industriâ, sciens, & deliberatè se ipsum jugulat, hoc ultimum, & pro nunc & pro Viatico suo, in utramque aurem intonamus:

Valeat, si velit; requiescat in pace, si possit.

A Deo & ad Deum Omnia. Amen.



F I N I S.




BIBLIOTECA